



~~Q/115~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-22.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



Q. D. B. P.

DISSERTATIO THEOLOGICA

Qua

PRÆCIPUI

PONTIFICIORUM ERRORES

circa doctrinam

DE

ECCLESIA

ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΧΗ

ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.

PRÆSIDE

GODOFREDO HOFFMANNO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,  
ET ECCLESIAE DECANO,

*Publica ventilationi exposita*

Die Septembr. MDCCXXIV.

In Aula Theologorum Nova.

RESPONDENTIBUS

M. JOHANNE LUDOVICO ENTENMANN, Nicro-Beyhingensi.

M. JOHANNE ANTONIO MAJER, Nuffringensi.

M. PETRO MEZGER, Schorndorffensi.

M. JOHANNE CONRADO KAUFFMANN, Hohenhalslacenti.

SS. Theol. Stud. & Serenissimi Stipendiarius.

TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKII.





D I S S E R T A T I O T H E O L O G I C A

P O N T I F I C I O R U M E R R O R E S

circu doctum

E C C L E S I A

DE

ob oculos spectantur, Aristoteles respiciuntur.

P R A E F A T I O

G O B O R E D O H O F M A N N O

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SEPARATIM  
ET ECCLESIAE DECANO.

Publica auctoritate

Die Septembrii MDCCXXII

In Aula Theologicae Novae

RESPONDENTIBUS

- M. JOHANNES LUDOVICUS ERTSMANN, N. S. S. S. S. S.
- M. JOHANNES ANTONIO MAJER, N. S. S. S. S. S.
- M. PETRUS MENGER, N. S. S. S. S. S.
- M. JOHANNES CONRADUS KALFFMANN, N. S. S. S. S.

UNIVERSITÄT, HIER: MOUFRANKEN





I. N. 7.

§. I.

**D**ictum est hætenus, quâ ratione Pontificii circa MEMBRA Ecclesiæ verè & propriè sic dicta peccent in *excessu*, dum iis *impios* quoque & scelestos annumerant. Videamus nunc, quomodo iidem circa hoc punctum peccent in *defectu*; Id verò fit, quando ad Ecclesiam pertinere negant Primò CATECHUMENOS fideles quidem, at *nondum baptizatos*, de quibus Bellarminus \* ait, eos non esse in Ecclesia *actu & propriè*, sed tantùm in *potentiâ*, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus, non dicitur homo, nisi in potentiâ. Et porrò: quod non sint de Ecclesiâ *reipsâ*, sed tamen *voto & desiderio*, & propterea salvari possint. Alii aliis utuntur distinctionibus. MELCHIOR CANVS distinguit inter Ecclesiam in *specie* seu Christianam, & in *genere* sic dictam, quæ comprehendat omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem; Et Catechumenos de *hâc*, non de *illâ*, esse ait. Sed hæc distinctio non satisfacit *Bellarmino*, eò quòd post Christi adventum nulla alia sit vera Ecclesia, nisi illa, quæ propriè dicitur Christ-

A

ja.

(\* l. 3. de Ecclesiâ c. 3. col. 149.)



stiana, de quâ si *Catechumeni* non sunt, certè de nullâ sunt. JOHANNES de TYRRECREMATA & VALENTIANVS docent, *Catechumenos* pertinere ad Ecclesiam secundum *meritum*, i. e. mereri quidem, ut recipiantur in Ecclesiam per baptismum, sed non secundum *numerum*, h. e. non annumerari membris Ecclesie ante baptismi susceptionem; Quæ distinctio cum Bellarmianâ quoad rem coincidit. STAPLETONO autem distinctio ista non arridet, quare ipse aliam & tertiam substituit inter Ecclesiam, ut significat *corpus Christi mysticum*, & ut significat *cetum vocatorum*, vel Ecclesiam visibilem, & ad illam pertinere ait etiam *Catechumenos fideles*, ad hanc verò non nisi baptizatos. Sed non opus est distinctionibus istis in re facili & planâ, quæ per se nullam difficultatem habet. Quodsi enim, quod supra demonstravimus, SOLI & OMNES credentes sunt vera ac viva membra Corporis Christi mystici, necesse est, etiam *Catechumenos credentes*, de quibus solis hic quæritur, ad Ecclesiam pertinere. Hinc NOSTRATIVM quidam quætionem simpliciter affirmant, & hæc potissimum argumenta urgent, *quia* *Catechumeni credentes* salvantur, extrâ Ecclesiam verò non est salus; *quia* sunt membra Christi, quocum per fidem conjunguntur, & à quo actu vegetantur Joh. XIV. 5. Rom. VI. 5. Gal. III. 20. *quia* credendo sunt filii Dei Joh. I. 12. Gal. III. 26. & *quia* participes sunt remissionis peccatorum & Spiritûs S. quæ dona locum habent non nisi in Ecclesiâ. Ita GERHARDVS in Loco de *Ecclesiâ* §. 54. ubi hæc ipsa argumenta latius diducta videtis. BALTH. MEISNERVS autem distinctè procedit, & Ecclesiam duobus modis considerari posse ait, vel prout est *Invisibilis* & respectu *interna* communionis mysticæ; vel prout est *Visibilis*, & respectu *externa* communionis Ecclesiasticæ. *Catechumeni credentes* sunt omninò membra Ecclesie invisibilis, per & propter internam communionem mysticam, quia Christo sunt inserti per fidem & ab illo vitam spiritualem trahunt, adeoque viva ac vera ejus mem.



membra sunt, quod & *Szapletonus* procul dubio distinctione suâ significare voluit, quando dixit, Catechumenos esse de Ecclesiâ, prout ea denotar corpus Christi mysticum, quo ipso distinctionem nostram inter Ecclesiam visibilem & invisibilem tacitè approbat. Quod verò attinet communionem externam, ea vel *partialis* est, vel *totalis* & plenaria. *Partialis* consistit in solo auditu verbi; *totalis* vero præter hunc etiam participationem sacramentorum includit. Catechumeni membra Ecclesiæ visibilis sunt ratione communionis externæ *partialis*, quia templum cum aliis Christianis frequentant, verbum Dei devotè audiunt, nec sine fructu; esto, quod nondum fruuntur communionem plenariâ & *totali*, quæ fit per solennem Baptismi collationem, quo suscepto demùm ad S. Cœnæ usurpationem omniumq; Ecclesiæ privilegiorum fruitionem admittuntur. Et hoc sensu *actu* sunt in Ecclesiâ & reipsâ, non saltem *potentia* & *voto*, & male à *Bellarmino* cum homine in potentiâ, vel embryone nondum formato & nato comparantur. Sunt enim illi, simulatq; fidem ex verbo concipiunt, mediante hoc semine incorruptibili, verè & actu *ex Deo nati* 1. Petr. I. 23. Joh. I. 12. Jacob. I. 18. Quare invertenda potius est comparatio: Quemadmodum infans formatus & natus actu est homo; sic Catechumeni fideles tanquam actu ex Deo nati etiam actu sunt membra Ecclesiæ invisibilis, & visibilis dicto sensu.

§. II.

ARGUMENTA, quibus pro negativâ utitur *Bellarminus*, huc ferè redeunt: 1) *Quia* per baptismum fiat animarum app. sitio ad Ecclesiam, juxta Act. II. 41. 2) *Quia* Catechumeni nondum habeant jus neque ad sacramenta, neque ad alia, quæ communia sunt universæ Ecclesiæ. 3) *Quia* Patres communiter distinguunt Catechumenos à fidelibus. Provocat insuper ad CON-



CILIVM FLORENTINVM, quod in instructione Armenorum docet, homines fieri membra Christi ac de corpore Ecclesie, cum baptizantur. Verum facilis ad hæc singula est responsio. Ad I. R. Appositio ad Ecclesiam *solemniter* quidem fit per baptismum, exinde verò non sequitur, ergò fideles nondum baptizati *simpliciter* non pertinent ad Ecclesiam; à dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter* n. v. c. Alii ita respondent: Illi, qui Ecclesie aggregantur sunt in duplici differentiâ: *Quidam* enim uno eodemque tempore & verbum verâ fide recipiunt, & Baptismatis Sacramentum suscipiunt; *Quidam* verò postquam verbum fide receperunt, tamen baptismum non statim suscipiunt, *vel* necessitate coacti, ut latro in cruce, Martyres ad supplicia rapti &c. *vel* liberâ voluntate ducti, ut Catechumeni, quorum baptismus in primitiva Ecclesiâ differebatur usque ad Paschatos festum; Quo pertinet exemplum Ambrosii, qui nondum baptizatus à populo Mediolanensî ad Episcopatum vocatus est, teste Socrate, & Valentiniani Imp. qui antequam baptismum suscepisset, inopinatâ morte abreptus est. Illi, de quibus Lucas Act. II. 41. dicit, quod *appositi* fuerint (*προσθη-σθῶσι*) ad Ecclesiam Hierosolymitanam, ad priorem classem pertinent; disertè enim de illis dicitur, quod *receperint verbum & baptizati sint*. Quod verò illos attinet, qui verâ fide internâ præditi sunt, nec tamen statim baptismum suscipiunt, illi, si citrà contentum hoc sacramento vel aliquandiu vel usque ad finem vitæ priventur, non tamen propterea dicendi sunt esse extrâ Ecclesiam, cui apponuntur, saltem primo modo, quamprimum scilicet in Christum, qui est caput Ecclesie, credunt, & simul ore ejus doctrinam profitentur. Rom. X. 9. Ad 2. R. Antecedens simpliciter falsum esse, quoad utrumque membrum; Habent enim Catechumeni in religione Christianâ sufficienter instructi jus ad baptismum, qui ipsis perentibus denegari non debet.



debet; imo & ad alterum Evcharistiæ sacramentum, saltem mediatè, siquidem baptismum prius susceperint. Falsum etiam est, quod Catechumeni non habeant jus ad alia, quæ sunt universæ Ecclesiæ communia, qualia sunt v. g. remissio peccatorum, donatio Spiritus S. salus & vita æterna, quæ cum fide semel concepta inseparabilem nexum habent. Ad 3. 3c. Dicta Patrum, quæ ex Nazianzeno, Chrysostomo, Tertulliano, Cyrillo & Augustino adducit Cardinalis, intelligenda sunt de fidelibus *indivisis* sive *specialiter* sic dictis, qui non solum verâ fide internâ præditi sunt, (quo sensu ipse Bellarminus *Catechumenos* fideles appellat, eosque *de animâ* Ecclesiæ esse & salvari concedit) sed & per baptismi susceptionem, ceu publicum quoddam testimonium, fidem suam professi sunt, quo modo Catechumeni a fidelibus in scriptis Veterum rectè distinguuntur, quia ab his secundum externam Ecclesiæ politiam distincti erant. Ex eo autem minimè sequitur, quod actu non sint membra Ecclesiæ: Imò contrarium potius exinde sequitur, quod cum fidelibus specialiter sic dictis ejusdem quidem Ecclesiæ membra, sed non ejusdem ordinis sint. Unde & AUGUSTINUS *Tract. 4. in Joh.* quod non diffiretur Bellarminus, Catechumenos *in Ecclesiâ* esse ait, non saltem potentiâ, sed actu, licet de cætero ratione ordinis à fidelibus, specialiter sic dictis & jam baptizatis, eosdem aliâs distinguat.

§. III.

DE HAERETICIS & APOSTATIS, Bellarminus l. c. c. 4. contra *Alphonsum de Castro* aperte falsum esse ait, quod sint membra & partes Ecclesiæ, adeoque in genere & absolute id negat, urgens dicta *1. Tim. 1. 19. Tit. 3. 20. 11. 1. Joh. 11. 19.* sententiam *Concillii Nicani, Lateranensis*, & quorundam *Patrum* testimonia. At GREGORIUS DE VALENTIA distinguit inter hæretici



reticos-manifestos, quos negat esse membra Ecclesiæ, & occultos, qui exterius veram fidem profitentur, & hos sine dubio membra Ecclesiæ esse ait externâ conjunctione, licet arida. Similiter MELCH. CANVS & alii. STAPLETONVS eâdem quidem distinctione utitur, sed ita, ut adhuc aliam superaddat, & Hæreticum occultum habere ait externam societatem cum Ecclesiâ absque internâ, sed manifestum neutram habere, adeoque non esse membrum Ecclesiæ simpliciter, esse tamen secundum quid & quadantenus, propter characterem baptismalem, non secus ac transfuga ad Ducis sui exercitum pertinet, licet non amplius sit de numero militum, nec ullam prorsus veram societatem cum suo Duce ejusque exercitu actu retineat. Ad hoc verò respondet Bellarminus, characterem sacramentalem non sufficere ad constituendum aliquem in Ecclesiâ, quia aliàs etiam in inferno (sunt enim ejusmodi characterem esse indelebilem, & durare etiam in damnatis) daretur Ecclesiâ, adeoque plus per hoc non probari, quam quod characterem illo notati fuerint aliquando de Ecclesiâ & debeant esse, licet non amplius sint. Ita illi in terminis ludunt in re seriâ, & in propriis castris Ecclesiæ Romanæ inter sese dimicant.

§. IV.

NOS ante omnia heic distinguendum esse censemus inter hæreticos *judicio Papa* seu Pontificis Romani, & ipsius *Dei judicio* tales. Nimirum Papa hæreticos vocat omnes eos, qui traditionibus humanis valere jussit verbum DEI scriptum pro unicâ normâ & regulâ fidei habent, & in solo Christi merito fide apprehenso omne justitiæ ac salutis perugium ac præsidium quærunt, his anathema dicit in Concilio Tridentino & à communione Ecclesiæ eos prorsus excludit. Verè autem & ex mente Spiritus S. hæretici sunt & dicuntur, qui falsa dogmata  
con-



contra fundamentum fidei & salutis pugnantiâ pertinaciter defendunt. *Hi* quando verâ fide destituuntur, eo ipso membra Ecclesie vera ac proprie sic dicta non sunt, à cuius societate internâ semetipfos per apostasiam suam absciderunt, & à societate quoque externâ abscindunt, dum à verâ Ecclesia secessionem faciunt, vel abscinduntur, quando legitimo Ecclesie iudicio ab ea per excommunicationem justam separantur. *Illi* verò licet à communione Ecclesie Romanæ & Pseudo-Catholicæ excludantur, & proinde hujus membra non sint, quemadmodum nec esse cupiunt, & esse prohibentur 2. Cor. VI. 14. propterea tamen ab Ecclesia verè Catholicâ & Christianâ, quæ ambitu suo omnes fideles complectitur, qui ab initio mundi vixerunt, & usque ad finem illius victuri sunt, exclusi non sunt, non obstante contrario & temerario Papæ iudicio, quem nos pro capite Ecclesie minimè agnoscimus, sed pro Adversario potius Christi & Ecclesie habemus, de quo suo loco. Deinde quod hæreticos verè tales concernit, etiam de his distinctè pronuntiandum videtur. Sunt enim in duplici differentiâ: Alii quidem *manifesti*, alii *occuli*, prout colligi potest ex verbis D. Joannis I. Ep. II. 19. *Ex nobis exierunt*, (& per hunc exitum suum facti sunt hæretici manifesti,) *qui non erant* (amplius) *ex nobis*, (quamprimum scilicet à verâ fide nobis Apostolis & omnibus verè credentibus communi defecerunt, licet tanquam hæretici occulti ad tempus inter nos vixerint.) *Manifesti* hæretici sunt, qui publicè ab Ecclesia verâ secedunt, suum ab illâ dissensum apertè profitentur, & peculiare cœtus colligunt. *Occulti*, qui in verâ Ecclesia vivunt, purioris doctrinæ approbationem foris simulant, eandem cum orthodoxis religionem ore profitentur, iisdemque utuntur sacramentis, hæresin verò in pectore quidem fovent, nec tamen eam produunt, sed ita se gerunt, ut credas, eos veræ fidei addictos esse. Quod verò



verò *Bellarminus* putat, hæreticos occultos, antequam per obstinationem & pertinaciam separentur, non tam hæreticos quàm simpliciter errantes dicendos esse, \* nobis ideo probari nequit, quia ut quis rectè dicatur hæreticus, sufficit, quod in errore fundamentali pertinaciter perseveret, sive id clàm, sive palàm fiat. Neutrũ sunt membra Ecclesiæ invisibilis & respectu *internæ communionis*, siquidem vera fide carent. (Quamquam non omnes doctrinis hæreticis ac perniciosis imbuti, licet pertinaciter iis adhæreant, fidem, quæ nos Christo capiti unit, protinus amittant, siquidem pertinacia illa non ex malitia, fastu aut superbia, sed forsan ex defectu iudicii, aut ex præiudicio sectæ, educationis &c. originem traxerit, atque ita talis *bonâ fide*, siquidem ita loqui fas est, erret & in errore suo constanter perseveret.) Quod verò Ecclesiam visibilem & *externam communionem* attinet, possunt hæretici *occulti* omnino membra illius appellari, quamdiu eandem cum aliis credentibus fidem ore profitentur, si vel maxime hæresin pestilentissimam intus in corde foveant. Facit enim externa illa communio & veræ fidei professio, ut aliquo modo membra ejusdem societatis tantisper audiant; Quemadmodum & ipse *Bellarminus* definit Ecclesiam, quod sit cætus hominum, ejusdem fidei Christianæ professione & eorundem sacramentorum communionem colligatus sub regimine Pontificis Romani. Jam verò in tali cætu possunt utriusque esse aliqui hæresin clàm foveentes, quod non negat *Bellarminus* c. 10. ubi asserit, hæreticos externâ fidei professione esse in Ecclesiâ, antequam ipsi exeant, juxtâ illud *AVGVSTINI Tract. 3. in Epist. Joh. Multi intus sunt, qui non exierunt, & tamen Anti-Christi sunt.* Consequenter non debuisset simpliciter affirmare, hæreticos omnes esse extra Ecclesiam. Sunt autem membra Ecclesiæ, quod

(\* l. c. col. 152.)



quod hic denuò inculcamus, non *proprie*, sed *equivocè* sic dicta, quia non sunt viva, sed mortua & arida, & proinde rescindenda. Hoc sensu AUGUSTINVS ejusmodi hæreticos adhuc IN Ecclesia esse probat *l. 3. de Bapt. c. 19.* Et Apostolus disertè pronunciat I. Cor. XI. 19. *Oportet esse hæreses in vñ IN vobis.* Quin & de hæreticis *manifestis* fatendum, quod adhuc aliquid Ecclesiæ retineant, videlicet Sacramentum Baptismi & partem quandam verbi divini incorruptam, cujus virtuti & efficacix tribui debet, quod etiam per corruptum ministerium & in ipso hæreticorum cœtu Deo filii & filix generantur. Ezech. XVI. 20. C. XXIII. v. 37. \* Et eatenus AUGUSTINVS l. c. dici posse existimat, *hæreticos esse adhuc aliquo modo in Ecclesia, etiam postquam ab eà exierunt, per Sacramentorum administrationem,* & quia Baptismus, etiam si per hæreticos administraretur, nihilominus efficax est, modò institutionis formam observent, & de substantialibus hujus sacramenti rectè sentiant. Quare & ipsi Pontificii, licet nos pro hæreticis habeant, negare tamen non audent, rectè & secundum Christi institutionem baptizatos esse, quotquot in cœtibus nostris baptizantur, & propterea non rebaptizant eos, qui à nobis ad ipsos transeunt. Jam verò quàm latè patet cœtus legitimè baptizatorum, tam latè etiam patet Ecclesia Christianorum, extrà quam nullum administratur sacramentum. Quanquam alii cum B. MEISNERO dicant, baptismum in cœtu hæreticorum administratum omninò extrà Ecclesiam administrari, non quidem extrà Ecclesiam *generaliter*, aut prout alii loquuntur, largo modo sic dictam, sed tamen extrà Ecclesiam veram, quæ falsæ opponitur *contrariè*, non *contradictoriè*, quoipso à nobis reverà non dissentiant.

B

Quan-

\* de quo vid. MYSÆI Tract, de Eccles. P. I. p. 267. sqq.



§. V.

Quando igitur PATRES, ad quos hęc in causã provocat *Bellarminus*, hæreticos ajunt esse *extrã Ecclesiam*, id non simpliciter & absolutè & de quibusvis hæreticis absque discrimine intelligi debet. Faterur enim ipsemet Cardinalis, *l. c. col. 152.* Augustinum sentire, quod hæretici, occulti antequam per obstinationem & pertinaciam separentur, quoad externam communionem adhuc sint in Ecclesia, imò & postquam exierunt, adhuc verè de iis dici possit, quod sint in Ecclesiã per sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quædam sacramenta verè administrant; Et hoc, ait, esse in Ecclesiã *secundum aliquid*, non simpliciter. Pariter & *Ambrosium* ait hæreticos referre ad Ecclesiam *largo modo* sic dictam, prout videlicet eos omnes complectitur, qui quovis modo nominantur Christiani, id quod nobis hoc loco sufficit. *Occultorum infidelium*, de quibus seorsim agit *Bellarminus c. 10. col. 178.* eadem est ratio, quæ occultorum hæreticorum, quare necesse non est, ut de his agamus ex professo.

§. VI.

De SCHISMATICIS idem ferè pronuntiandum viderur, quod modo de Hæreticis dictum, quanquam de cœtero inter hæreticum & schismaticum magnum discrimen intercedat. *Hæreticus* enim est, qui errores spargit ac pertinaciter defendit quoad principales fidei articulos: *Schismaticus* verò dicitur, qui Ecclesiæ unitatem turbat vel *erroribus* in doctrina *non fundamentalibus*; vel *factionibus* novis, quibus impugnat antiquos ritus, aut Episcopi alicujus jurisdictionem, aut aliquid simile, quæ Christianorum dissensio *σχίσμα* nominatur vel scissura, *δοξὸν τὸ σχίσμα scindere*. Atque ita Hæretici, prout id *Augustinus* exprimit *lib. de fide & symb. c. 10.* falsa de Deo sentien-



tiendo ipsam *fidem* violant; Schismatici autem discessionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt. Schisma enim fit per discessionem non quamcunque, sed *iniquam*, quæ fit absque justâ & legitimâ causâ, qualem Majores nostri habuere uberimam discedendi ab Ecclesiâ Romana, quanquam non tam ipsi sponte suâ discesserint, atque inde egressi, quàm potius per vim & sævitiam adversariorum ejecti fuerint. De quo vid. JOH. MVSÆVS in Tr. de Ecclesiâ P. II. p. 219. § 99. 330. De talibus ergò schismaticis hîc controvertitur, num ad Ecclesiam pertineant vel ejus membra dici queant? ALPHONSVS DE CASTRO affirmat simpliciter; BELLARMINUS l. c. c. 5. simpliciter negat; Nos verò sub distinctione ad hanc quæstionem respondendum esse censemus cum nostris Theologis. Schismatici enim sunt in duplici differentiâ: *Quidam* Ecclesiam turbant & scindunt scienter & ex merâ malitiâ, quale schisma fuit Marcionis, qui dixisse fertur: Ego scindam Ecclesiam vestram & mittam schisma in eam in æternum; *Alii* verò id faciunt ex infirmitate quâdam & præconceptâ opinione quâdam falsâ, quam tamen ipsi pro verâ habent, quale schisma olim excitatum fuit tempore Interimistico, dum nonnulli Pontificiis in quibusdam gratificandum esse statuerunt, alii hoc ipsum strenuè negarunt. Schismatici *prioris* generis qui sunt & malitiosi, non sunt membra Ecclesiæ invisibilis vel respectu communionis internæ, dum enim contrâ conscientiam datâ operâ peceant, fidem & Spiritum S. amittunt, & proinde vera ac viva Ecclesiæ membra esse desinunt, vid. MVSÆVS l. c. p. 204. Quatenus verò fundamentum fidei illæsum tenent, eandem religionem in substantialibus profitentur, & ab Ecclesiâ sese non prorsus separant, sed tantum in quibusdam minus principalibus, eatenus sunt & manent membra Ecclesiæ visibilis, adeoque ex parte & non ex toto. Schismatici autem *posterioris* generis, qui ex infirmitate quâdam carnis Ecclesiam turbant,



per hoc, si cætera rectè se habeant, fidem neque dogmaticam, quoad fundamentum, neque justificam, quæ cum peccatis venialibus stare potest, amittunt, consequenter membra manent Ecclesiæ invisibilis, & visibilis *ex parte*, quoad ejusdem fidei in fundamentalibus professionem & eorundem sacramentorum participationem, sed non *ex toto*, ob peculiaris dogmatis minus principalis propugnationem, vel diversorum rituum observationem cum distractione in partes conjunctam. Simplex enim rituum dissonantia, vel Doctorum qualiscunque dissensus non facit schisma, nisi accedat & concertatio publica, & Ecclesiæ unius in duas partes distractio, & mutua condemnatio, ut pars una alteram damnet, & cum eâ communicare nolit, quo demum pacto vinculum charitatis rumpitur & unitas Ecclesiæ scinditur ac dissolvitur. Quodsi absolutè nullus schismaticus esset membrum Ecclesiæ, sequeretur, VICTOREM I. Episcopum Romanum non fuisse membrum, multò minus caput Ecclesiæ, dum schismatis auctor extitit inter Ecclesias occidentales & orientales, de quo videri potest Eusebius L. V. c. 23. 199.

§. VII.

SCHISMA quod artinet, quod Adversarii Ecclesiis nostris objicere solent, quasi absque sufficiente causa secessionem fecerint ab Ecclesiâ Romanâ & propterea teneantur ad eam redire, crimen hoc dudum à se amoliti sunt pii Confessores nostri, quando in Præfatione Augustinæ Confessionis ad Cæsarem *paratos se obtulerunt, de tolerabilibus modis ac viis amicè conferre, ut quantum honestè fieri possit, conveniant, & dissensio, Deo dante, dirimatur, & ad unam veram concordem religionem reducatur &c.* Et rursus: *Nos quidem testatum clarè relinquimus, hic nihil nos, quod ad Christianam concordiam, qua cum Deo & bonâ*



bonâ conscientiâ fieri possit, conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare. Item in præfatione Apologiæ: *Non delectat nos discordia, nec nihil movemur periculo nostro &c.* Culpam verò schismatis in adversariis potius hære, passim iidem docuerunt, in AROLOGIA, p. 247. *Scimus aliquid offensionis esse in schismate, quod videmur divulsus ab his, qui existimantur esse ordinarii Episcopi. Sed nostra conscientia tutissima sunt, postquam scimus, nos summo studio concordiam constituere cupientes non posse placare adversarios nisi manifestam veritatem projiciamus &c.* Et p. 297. *Isti rationem schismatis excitati reddent, qui manifestam veritatem initio condemnaverunt, & nunc summâ crudelitate persequuntur.* Et in Traët. de Potestate & Jurisdic. Episc. p. 353. *Causam schismatis & discordia præbent impietas & tyrannis Episcoporum &c.* Impietas scilicet dogmatum, uti statim sequitur, *quia docent & defendunt impiam doctrinam & impios cultus, & tyrannis in conscientias, quas traditionibus & mandatis hominum onerant.* Conf. omnino IO. FRIKII, Theologi Ulmenensis celeberrimi, Dissert. de Culpâ Schismatis Eccles. Evangel. falsò imputatâ. Et FRANC. TURRETINUS de secessione justâ ac necessariâ &c. Quod verò Bellarminus h. c. c. 3. col. 156. ait, *Neminem posse, etiam si velit, subesse Christo, qui non subest Pontifici Romano,* vanum & inane postulatum est, quod nostrates potius invertunt, asserentes, neminem posse, quantumvis velit, subesse Christo, qui non contradicat Papæ, vel ejus dogmata Antichristiana toto pectore aversetur, quo sensu B. noster Lutherus Smalcaldiâ discedens congregatis ibi Theologis Augustanæ Confessionis valedixit his verbis: *Impleat vos Deus odio Satana & Papæ!*

S. VIII.

Denique de EXCOMMUNICATIS docet *Catechismus Romanus*, quod in Ecclesiâ non sint, & Bellarminus id probat primò ex scripturâ, ubi excommunicati Ethnicis æquiparantur Matth.



XII. 17. *Deinde* ex Jure Canonico; *Tertio* ex Patribus; & *denique* ex ratione, quia excommunicatio hominem privat omni commercio spirituali. (*l. 1. c. 6. col. 157. seqq.*) De *injustè* excommunicatis ait, quod sint in Ecclesia *animo* sive *desiderio*, quod illis sufficiat ad salutem, non tamen *corpore* sive externa communicatione, quæ propriè faciat hominem esse de Ecclesia visibili, quæ est in terris. *NOS* sic arguimus: Quicunque sunt de numero salvandorum, ii etiam sunt membra Ecclesie, quia extrà Ecclesiam non est salus, quod axioma ipsimet Adversarii frequenter in ore habent. Atqui *injustè* excommunicati sunt de numero salvandorum, quod Bellarminus faterur. Ergò sunt membra Ecclesie, non visibilis, ex sententia Cardinalis, ergò invisibilis, & sic datur Ecclesia invisibilis, quam alias Utopicam vocant Adversarii. Nemo enim hominum potest alteri adimere communionem cum Christo, quamdiu vera fide in Christum præditus est. *Quis separabit nos?* Rom. II. 35. seqq. Solum peccatum *nos à DEO divellit*. Ec. LIX. 2. & *injusta* excommunicatio non tam maledictio est, quam benedictio Psalm. CIX. 28. *Deinde* Ecclesia *injustè* excommunicans vel vera est, vel falsa & hæretica; Si prius, tunc talis ex errore forsitan aut nimia vehementia excommunicatus non quidem est membrum Ecclesie illius *de facto*, quamdiu arcerur ab omni communi-  
one; est tamen *de jure*, quo *injusta* excommunicatio eum privare nequit. Nemo enim à sacris validè arceri potest nisi ob justam & legitimam causam. Sin verò posterius, tunc quidem excommunicati non sunt amplius membra Ecclesie istius falsæ & hæreticæ ipsos excommunicantis: per istum verò ab illà recessum & ad orthodoxos accessum fiunt membra Ecclesie veræ visibilis, de quibus valet illud Salvatoris nostri effectum: *Beati estis, cum separaverint vos* Luc. VI. 22. Quod verò *justè* excommunicatos attinet, illi vel manent *impenitentes*, vel rursus agunt *penitentiam*, & ex meditatione verbi  
veram



veram denuò fidem concipiunt: *Illi* non sunt membra Ecclesie neque invisibilis, neque visibilis, quamdiu in tali statu sunt & manent, ut patet. *Hi* verò etiam ante solennem receptionem sunt vera ac viva membra Ecclesie invisibilis, eo ipso quia fidem habent, & salvarentur, si ante receptionem morerentur; imò & visibilis, saltem *de jure*, si non de facto; & in *potentiâ proximâ*, digni quippe, qui recipiantur in gremium Ecclesie.

## SECTIO TERTIA.

### DE DISTINCTIONE INTER ECCLESIAM VISIBILEM ET INVISIBILEM.

Ubi quæritur:

*Num Ecclesia semper sit visibilis, & nunquam deficere aut in occulto delitescere possit?*

§. I.

**A**firmant PONTIFICI, & propterea distinctionem nostram inter Ecclesiam *visibilem* & *invisibilem* explodunt, & hanc per contemptum *Platonicam*, *Uropicam* & *imaginariam* vocant. Ita GREGORIUS de VALENTIA: Dicitur, *ait*, Ecclesia visibilis i. e. sic in luce & conspectu hominum posita, ut quovis seculo evidenter internosci & quasi digito monstrari queat congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè videre possis ac debeas; & qui hoc credere nolunt, *lucifugas* & *filios tenebrarum* appellat. STAPLETONUS inquit, Ecclesiam quidem semper esse visibilem, aliquando autem habere statum florentem aut certè pacatum, aliquando afflictum aut perturbatum, in neutro tamen statu visibilitatem amittere, & posse quidem ad tempus obscurari, hoc tamen perpetuo ejus splendori nihil præjudicare. Et BELLARMINUS: Ecclesia est cæterus hominum ita visibilis & palpabilis, ut est cæterus populi Romani vel Regnum Gallie, aut Respublica Venetorum. NOS unam eandem-



eandemque Ecclesiam pro diverso respectu aut statu visibilem & invisibilem rectè appellari asserimus. *Visibilem* quidem quoad ministerium publicum, quamdiu illud viget, & quoad externam congregationem hominum, quos oculis corporeis videri posse, nemo in dubium vocat; *Invisibilem* autem & quidem omni tempore ratione membrorum propriè sic dictorum, quorum quippe fides hominum oculis non patet; interdum verò & ad tempus quoad publicum & purum religionis exercitium, quod cessare potest, vel *ex parte*, dum particulares Ecclesiae tempore persecutionis aut invalescentium hæresium illo privantur, vel *ex toto*, quando in toto terrarum orbe nullus superest cœtus, in quo pura verbi prædicatio & legitima sacramentorum administratio viget, sed ministerium & cultus publicus ubique locorum corruptus est. Qualis erat status Ecclesiae Judaicæ ante adventum Christi in carnem, in quâ non nisi depravata Phariseorum doctrina publicè sonuit, ubi tamen in utroque casu Deus procul dubio sibi semper semen aliquod sanctum in occulto servat, quod Ecclesiam constituit invisibilem. *TRIA* itaque sunt, quæ inter nos & Pontificios circa hoc punctum controversantur; *Primum* est, an Ecclesia quævis particularis ratione verorum membrorum semper sit visibilis? Quod illi affirmant, ex falso supposito, quod ad rationem veri membri sola exterior fidei professio sufficiat; Nos negamus, & hoc sensu Ecclesiam potius semper invisibilem esse dicimus, ex ratione modo allegata, quia nonnisi verè credentes vera Ecclesiae membra sunt, quod in antecedentibus demonstratum dedimus. Quinam verò illi determinatè sint, nemo hominum videre aut certò scire potest. *Alterum*, An nulla sit Ecclesia, ubi nullum est publicum veræ religionis exercitium? Quod illi rursus affirmant; Nos negamus, ipsâ rerum experienciâ edocti, quod etiam ibi veri fideles delitescere possint, ubi nulla religionis veræ exercitia publica instituuntur, quo sensu etiam extra Eccle-



Ecclesiam visibilem dari potest Ecclesia invisibilis seu numerus fidelium, qui soli Deo noti sunt, uti tempore Eliæ, quo Deus septem millia virorum sibi in Israel reservavit, qui genua non incurvarunt coram Baal, I. Reg. XIX. 10, 14. qui sine dubio veram, licet invisibilem, constituebant Ecclesiam. Tertium & palmarium præsentis controversiæ caput est: Num Ecclesia tota ita invisibilis reddi possit, ut publicum veræ religionis exercitium nullibi terrarum in cœtu quodam integro amplius vigeat? Quod Pontificii *negant*, contendentes, Ecclesiam N. T. semper ita illustrem & conspicuam esse, ut ad minimum aliquis cœtus integer monstrari possit, in quo vera religio purè doceatur, reclususque Dei cultus exerceatur publicè. Nos verò *affirmamus* & statuimus, non hanc solùm vel illam Ecclesiam particularem, sed omnes omninò particulares Ecclesias, adeoque totam visibilem Ecclesiam nube corruptelaram, hæresium aut persecutionum obscurari, inque eum statum redigi posse, ut splendor & claritas ejus exterior penitus deficiat, nec superfit illustris aliquis & conspicuus cœtus, qui puro verbi præconio publicè sonante gaudeat, licet interim semper supersint aliqui fundamentum fidei retinentes, ac Deus etiam per corruptum ministerium filios & filias, Ecclesiam invisibilem constituentem, sibi generet, imo & in tali statu subinde quosdam excitet heroes, qui cum præsentissimo vitæ periculo veritatem publicè profiterentur ac defendunt. *Breviter*: Docent Adversarii, quod Ecclesia semper retineat alicubi publicum veræ religionis exercitium adeoque visibilis existat perpetuò: Nos autem contrà docemus, quod Ecclesia non semper retineat publicum exercitium, sed quandoque illo tota privetur, adeoque tota fiat invisibilis. Idque probamus

I. Exemplo *Ecclesiæ Judaica* ejusque statu potissimum sub Regibus

C

bus



bus, Cuius statuejus fuerit sub *Judicibus*, liquet ex *Judic. II. 17. 12. 13. 17. 19. III. 5. 6. 7. II. X. 27. X. 6. &c.* postquam regnum fuit divisum post obitum Salomonis in regnum *Judæ & Israelis*. Et in hoc quidem cultus publicus semper fuit corruptus. *I. Reg. XII. 28. XIV. 16. XV. 26. 34. XVI. 7. 13. 19. 25. 31.* In illa autem sub multis Regibus verus cultus pariter depravatus fuit, adeoque publicum ejus exercitium nonnunquam defuit, & postquam initium Idololatriæ factum fuit tempore ipsius *Rebna* primi Regis *Judæ*, *I. Reg. XIV. 22. sq.* illa deinceps continuata fuit sub *Abiamo*, *I. Reg. XV. 3. Asa v. 14. Josaphat* *I. Reg. XXII. 5. Joram* *II. Par. XXI. 6. 13. Ochozias* *XXII. 3. Athalia* *c. XXIV. 7. Joa* *V. 18. 19. Amasa* *c. XXV. 14. Osias* *XXVI. 19. Joatham* *c. XXVI. 2. Achaz* *2. Reg. XVI. 11. 2. Paral. XXIII. 3.* Unde expressè dicitur *2. Reg. XVII. 19. Nec ipse Juda custodivit mandata Domini DEI sui, veruncamen ambulavit in erroribus Israel, quas operatus fuerat.* Postea *Ezechias* quidem *Ecclesiam* reformavit *2. Reg. XIX. 1. sqq.* sed filius ejus & successor *Manassæ* variis modis Idololatriam denudè exercuit *2. Reg. XXI. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 11.* cujus vestigia pressit *Amon* *v. 19. 20. 21.* Et qui huic successit *Josias* Rex pius, cujus tempore inventus est Liber Legis *2. Reg. XXII. 8.* Ex quo patet, quam misera superiorum temporum conditio fuerit, & quanta publicus cultus fuerit corruptio, cum ne quidem libra legis habuerint, sed idolis potius servierint. Quod & de cæteris, *Jochaz* *2. Reg. XXIII. 32. Eliakim* *v. 37. Jebojachim* *c. XXIV. 9. 15. & Sedekias* *v. 19.* disertè legitur. Cum igitur tempore *V. I.* extra *Judæam* nulla extiterit vera *Ecclesia* visibilis, & verò in tota *Judæa* sæpè nullum fuerit publicum paræ religionis exercitium, sequitur omninò, tum temporis totam *Ecclesiam* puro verbi ministerio caruisse, adeoque invisibilem & in paucis quibusdam latratibus piis conservatam fuisse. Id quod porro confirmant

210

firmant



firmant tot gravissimæ querelæ Prophetarum omnium, quos allegare nimis longum foret, (vid. in primis Esaia II. 8. X. 11. Jerem. II. 26. 28. III. 6. 8. 10. VII. 30. XI. 13. Ezech. VII. 26. XXII. 26. 28. 30. Osee II. 2. IV. 15. V. 4. 5. Amos II. 7. Mich. I. 5.) Quod si vel maximè qualiscunque sacrificiorum usus usque ad captivitatem Babylonicam in templo Salomonis mansisse dicatur, id tamen ad puritatem cultus publici nondum sufficit, quia victimas obrulerunt etiam idolis suis, uti de Manasse legitur 2. Reg. XXI. 7. quod *posuerit idolum luci, quem fecerat in templo Domini, & sic peccare fecerit etiam Iudam in idolis suis v. 11.* Tempore captivitatis Babylonicæ per integros LXX. annos nulla profus sacrificia oblata, nullumque veri cultus exercitium publicum institutum fuisse notius est, quàm ut negari possit. Hinc faretur *Stapletonus*, rotam Synagogam Judaicam tempore captivitatis fuisse dejectam; & *Becanus* tempore Christi eam rotam defecisse admittit; sed uterque excipitur, ab Ecclesia Vetere ad Ecclesiam Novi Testamenti, à Judaica ad Christianam non valere consequentiam, quia huic facta sit specialis promissio perpetuitatis, non illi. Verùm 12. Ecclesiam N. T. perpetuò duraturam esse, nemo nostrum negat, novimus enim & certò credimus, portas inferorum nunquam prævalituras esse contra Ecclesiam Matth. XVI. 18. quòd verò hæc ex speciali quodam privilegio perpetuò mansura sit *visibilis & conspicua*, exinde non sequitur. Reclamat enim

II. Partim *Historia* X. persecutionum, ubi omne publicum religionis exercitium Christianis ademptum fuit, præsertim sub Diocletiano, qui omnia Christianorum templa destruxit, & eos in cavernas & deserta fugere coegit.

III. Partim *Scriptura*, quæ tempore dominantis in Ecclesiâ Antichristi miserrimam fore Ecclesiæ faciem tam clarè testatur, ut & Pontificii Interpretes, qui Antichristum nondum venisse putant, tamen adhuc futurum esse dicant, tempore Antichri-



sti venturi, ut omnis cultus divinus, qui in Ecclesiis Christianorum nunc viget, penitus aboleatur. \* Quod sane nihil aliud est, quàm totam Ecclesiam nostro sensu aliquando fore invisibilem & publico cultus exercitio destitutam.

§. II.

ARGUMENTA Adversariorum contraria plus non probant, quàm *vel* Ecclesiam perpetuò duraturam esse, quod & nos de Ecclesiâ Catholicâ asserimus; *vel* aliquando esse, in statu scilicet florenti & pacato, visibilem & conspicuam, quod facile admittimus; *vel* denique dicta scripturæ, quæ de splendore *inter-*  
*no* & spirituali loquuntur, ad splendorem externum, qui oculos hominum ferit, male detorquent. Quo uno observato facilis erit ad singula responsio. *Augustanam Confessionem* quod attinet, cujus verba nobis objicit TANNERUS, verum quidem est, quod ea Art. VII. definiat Ecclesiam visibilem, ejusque signa quædam seu notas externas constituat; Quod verò semper sit visibile, nullibi ista affirmat; aliud enim est dicere, quod *una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit.* & aliud quod perpetuò mansura sit *visibilis*, quod posterius ibi non legitur, & Confessoribus nostris perperàm affingitur, quasi hæc illorum mens ac sententia fuerit, cum contrarium ex ipsorum scriptis luculenter constet.

§. III.

Jam vesò ex dictis facile constare potest, quid ad *Quæ-*  
*stionem* Adversariorum: Ubi nam Ecclesia vera fuerit ante Lutherum? si Ecclesia Romana non sit vera Ecclesia.

\* vid. Bellarm. l. 3. de Rom. Pontif. c. 7.



clesia, sit respondendum: Nimirum, factam eam tum temporis sub dominatu Anti-Christi fuisse invisibilem, conservatam autem nihilominus à DEO extitisse tum in infantibus baptizatis; tum fidelibus adultis in occulto latentibus; quin & suo modo fuisse visibilem in piis istis Confessoribus, qui voce & sanguine veritatem Evangelicam ante Lutherum professi Papalibus erroribus contradixerunt; quemadmodum & multi alii in ipso mortis articulo, abjectâ omni humanorum meritorum fiducia, veram in Christum fidem sunt amplexi. Quos omnes veram Ecclesiam constituisse dubio caret, licet publico puræ religionis exercitio privati fuerint.

§. IV.

Num in fide errare possit Ecclesia? Quæstio est magni momenti, quæ hûc pertinet. PONTIFICII absolute id negant, & verò per Ecclesiam intelligunt Ecclesiam Romanam, & in ultimâ analysi, Pontificem Romanum, quem in definiendis rebus fidei & morum infallibilem esse contendunt. NOSTRA verò sententia hæc est 1. Ecclesiam *Catholicam Universalem* totam in fundamentalibus, vi promissionum divinarum Esai. LIX. 21. Matth. XVI. 18, nunquam errare posse, quia alias tota deficeret; posse tamen in quæstionibus secundariis & non fundamentalibus, saltem ratione doctrinæ publicæ. 2. Ecclesiam *particularem* quamcunque etiam in fundamentalibus errare posse & à fide penitus deficere, prout constat exemplo Ecclesiarum Asiaticarum &c. 3. Ecclesiam *Romanam*, cui soli hoc privilegium infallibilitatis vendicant adversarii, hoc modo actu errare, & Apostasiam à fide Apostolicâ dudum commisisse. Id quod vel sola collatio doctrinæ Pontificiæ cum Epistolâ Pauli ad Romanos scriptâ docet, quam instituit Aegid. Hunnius in *præfat. super Epist. ad Romanos.* &c.



Joh. Gerhardus *L. de Ecclesiâ S. 125.* nec non Güntherus *Lips. in pecul. dissert.* ad quos Lectorem remittimus. Frustrâ igitur blandiuntur sibi A dversarii & promissiones Ecclesiæ universali factas Ecclesiæ Romanæ, quæ particularis est, & quidem soli tribuunt. Quæ hoc ipso graviter & turpiter errat, dum seipsam errare non posse contra evidentem rei veritatem falsò gloriatur.

## §. V.

Sed nec inter ipsos Pontificios convenit de sede istius infallibilitatis, *sine penes Papam, an penes Concilium?* Aliis Concilio hoc privilegium vendicantibus, aliis illud Papæ tribuentibus. In quo tamen utriusque errant. Nam quod ad *Concilia* attinet, certum est, infallibilitatem non magis competere posse omnibus ejus membris simul & conjunctim sumtis, quàm singulis Episcopis in eo congregatis, quos fallibiles esse adversarii non dissentunt. Nec ullibi legitur in scripturâ, privilegium infallibilitatis promissum aut datum esse Concilio potius quàm privatis. Quin potius ipsa testatur experientia, multa Concilia actu errasse, v. g. Concilium *Nicanum I.* dum Paulianistas rebaptizari jussit & conversis Christianis militiâ interdixit. *Neocæsariense*, à Leone IV. approbatum, dum secundas nuptias damnavit. *Constantinopolitanum III.* itidem à Papa confirmatum, dum baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse decrevit. Quem errorem Augustinus *L. 7. de Bapt.* refutavit. Quin & pugnantia sæpè decreta condiderunt, uti constat de Concilio *Romano* sub STEPHANO VII. habito, quod aëta FORMOSI irrita declaravit, quæ deinceps Concilium *Ravennense* rursus restituit & confirmavit, contra verò decreta Concilii *Romani* rescidit, teste *Platina* & *Bellarmino*. Sic Concilium *Constantiense* & *Basiliense* Papam Concilio inferiori, Concilium verò *Lateranense* & *Tridentinum* superiorem esse decrevit. Quod *Pontifices* concernit, quorum infallibilitatem Jesuitæ, aliis quidem contradicentibus, extendunt ad quæstiones *juris & facti, fidei & morum*, constat ex historiâ multos



multos eorum errasse tam *personaliter*, quam *judicialiter*. *Zepherianus* enim fuit Montanista; *Marcellinus* idolis sacrificavit; *Liberius* Arianismo subscripsit; *Agilinus* hæretin Eurychianorum & Monothelitarum confirmavit, &c. Plura exempla videbis apud *Thummium* nostrum in *Disq. de Verbo DEI*. Relinquitur ergò Ecclesiam omnino errare posse & de facto errare, quociescunque à regula verbi divini deflectit, quod sæpè fit, teste experientiâ, quæ & hac in parte stultorum Magistra esse potest.

## SECTIO QUARTA.

### DE NOTIS ECCLESIE.

S. R.

Quamquam absolute necessarium non sit scire, ubi locorum sit Ecclesia, siquidem *iusus sua fide vivet* Hab. II. 4. si vel maxime nesciat, num plures alii & quinam eandem cum ipso fidem profiteantur, vel quo in loco illi congregati sint. Uti enim scientia hæc & externa associatio cum Ecclesiâ particulari & visibili non salvat, ita nec ignorantia contraria & defectus associationis per se damnat. Tamen quia accessus ad congregationem sanctorum & visibilem Ecclesiam temerè negligi non debet, si nihil aliud obstat, aut si constet, ubinam illa sit, doctrina de *Notis* veræ Ecclesiæ, quibus illa innotescit, ad minimum valdè utilis, & propterea operæ pretium est, ut & hoc loco in eas inquiramus, earumque beneficio Ecclesiam veram à falsâ, orthodoxam ab heterodoxa & hæretica discernamus. Non enim hæc quaeritur de notis Ecclesiæ Christianæ in genere, quam professio Christianismi satis distinguit ab Ethnicis & aliis infidelibus, sed, quomodo ex variis causis eorum,

quæ



qui Christi nomen profitentur, verus & orthodoxus à falsis & hæreticis distingui possit.

§. II.

Sunt verò Requisite veræ ac genuinæ notæ, quæ nos in certam atque infallibilem rei cognitionem deducere potest, sequentia: ut notato 1. *verè* conveniat, & quidem 2. *soli*; & 3. *semper*; eoque 4. *notior* sit, si non ratione *rei*, tamen ratione *probationis & consequentiæ*. Quæ affectiones in complexu sumi debent, ita ut si universæ atque singulæ adfuerint, tum demum notam veram ac genuinam esse indubitato exinde concludi queat. Cùm igitur omnium optima ac certissima signa sint, quæ rebus ipsis essentialia sunt, ejusque formam ingrediuntur, necesse non est, ut nota sit respectu rei *externa*, ejusque essentialiam non ingrediatur, prout quidam Doctores Pontificii censent, & hoc nomine notas nostras suggillant. Potest enim aliquid esse internum respectu *sui*, & tamen externum, propter actus sensibiles conjunctos, ratione *nostræ*, ita ut Ecclesiam exterius nobis notificet & demonstret.

§. III.

Jam, si queratur, quænam ergo sint tales NOTAE veræ ac genuinæ Ecclesiæ florentis ac visibilis, & quidem non conjecturales solum & probabiles, sed essentialia & apodicticæ, quarum beneficio in cognitionem veræ Ecclesiæ certam & infallibilem devenire queamus? NOS cum AVGVSTANA CONFES-  
SIONE duas hujusmodi notas esse asserimus, nimirum *puram  
verbi Divini prædicationem & legitimam Sacramentorum admini-  
strationem*, quæ posterior tamen non ejusdem simpliciter necessitatis est cum priore, & in certo casu ad tempus abesse potest; Quemadmodum olim in deserto per integros XL. annos  
omissa



omissa fuit circumcisio. Interim, quia hic de visibili Ecclesia quaeritur, in statu quieto & florente constiturâ, meritò utramque notam conjungimus, quoniam sacramentorum usus in tali statu ob mandatum Dei & nostram indigentiam pariter necessarius est & perpetuus. Ubi enim nullum adest impedimentum, quo minus Sacramentis uti queamus, citrà contemptum & periculum salutis ea negligi haud possunt. Cæterùm circâ puritatem doctrinæ observandum est, dari in eâ gradus, ita ut Ecclesia modò purior sit modò impurior, prout doctrina publica vel magis vel minus consona est Verbo DEI. Neque enim Ecclesia statim desinit esse vera, quando aliquid impuritatis doctrinæ cœlesti admiscetur, modò substantialia servantur integra, & ipsum fundamentum illæsum maneat. Ubi verò errores fundamentales in doctrinâ Ecclesiæ alicujus publica deprehenduntur, nomen quidem Ecclesiæ Christianæ generaliter sic dictæ ei adhuc tribui potest, vera autem Ecclesia idèò dici nequit, quia per veram Ecclesiam hoc loco intelligimus orthodoxam, in oppositione ad heterodoxam sive hæreticam. Alii distinguunt inter oppositionem contrariam & contradictoriam, uti suprâ monuimus, & cœtum hæreticorum veram quidem Ecclesiam dici posse admittunt, in oppositione ad non-Ecclesiam, sed non in oppositione ad falsam Ecclesiam. Ita GERHARDVS, MYSÆVS, & alii.

§. IV.

Hanc verò assertionem nostram probamus contra Adversarios has duas notas respicientes, sequentibus argumentis:

I. Ex definitione Ecclesiæ visibilis, quæ nihil aliud est quam cœtus vocatorum, in quo verbum Dei purè docetur, & sacramenta reâè juxta Christi institutionem ministrantur, prout Act. II. 42. de Ecclesiâ primitivâ dicitur, quod cœtus fidelium perseveravit in doctrina Apostolorum & in communicatione &



*in fractione panis & in precibus &c.* Ex quo colligitur, ipsam formam Ecclesie veræ & differentiam specificam in hoc consistere, quod veram ac verbo Dei consonam doctrinam tradat & sacramenta dispense. Jam verò formæ est, rem non solum in suo esse constituere, sed & ab aliis distinguere, eamque nobis notam & manifestam reddere. Et quæ sunt causæ *essendi*, eadem sunt quoque causæ *cognoscendi*, quoties de solidâ ac perfectâ rei cognitione, & de notis essentialibus, non accidentalibus, quæ abesse possunt, quæritur.

II. Ex *Principio* Ecclesie unico & adæquato, per quod ea colligitur & conservatur, quod non aliud est, quam verbum Dei & sacramenta; Unde sic arguimus: Per quodcumque principium Ecclesia colligitur & conservatur, per illud ipsum quoque cognoscitur, seu, quod idem est, illud quoque est nota vera ac propria Ecclesie. Atqui per verbum & sacramenta &c. 1. Petr. I. 23. 1. Cor. X. 17.

III. Ab *Exemplo* Ecclesie V.T. Quemadmodum enim olim populus Dei ab aliis distinctus & cognitus fuit ex doctrinâ Moïsi & Prophetarum, ex sacramento circumcisionis & agni Paschalis, cæterisque sacris divinitus institutis Deut. IV. 6. Psalm. CXLVII. v. 19. 20. Ita & hodiè Ecclesia vera cognosci debet ex doctrina Christi & Apostolorum, & usu Sacramentorum, Baptismi & Evcharistie, ita ut pro verâ habeatur Ecclesia, quæ veram profiteatur doctrinam, pro falsâ autem quæ *heterodidaskalias* sectatur Gal. I. 6. 1. Tim. I. 19. IV. 1. Unde TERTULLIANVS *L. de præscript. c. 21.* Illas, *ait*, esse veras Ecclesias, quæ teneant doctrinam ab Apostolis traditam. Et AUGUSTINVS *L. de unitate Eccles. c. 2.* Nolo, *inquit*, humanas documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari: Idem & sacramenta vocat *characteres* Ecclesie. Concinit HIERONYMVS in *Psalms. 33.* Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ibi Ecclesia est, ubi fides vera



vera est. Et CHRYSOSTOMVS *Homil. 49. in Matth.* Ex quo hæresis occupavit Ecclesias, nulla probatio esse potest vera Christianitatis, nisi per scripturam divinam. Quin & *Liber Interimisticus c. X. & Enchiridion Christianæ institut.* Colonix editum eadem planè nobiscum Ecclesiæ notas constituit, & *Gregorius de Valentia: Fatemur*, inquit, *neque veritate doctrina neq. legitimo sacramentorum usu Ecclesiam errare posse, & apud quos hæc omnino sint salva, ex iis constare veram Ecclesiam.*

§. V.

Excipit quidem *Bellarminus*: Requisita veræ notæ non competere his duabus à nobis modò assignatis. 1.) Quia non competant soli Ecclesiæ veræ, sed sint communes omnibus sectis *Quæ enim*, quærit, *secta unquam fuit, quæ non dixerit, se habere sinceram prædicationem veritatis?* nec non Schismaticis puris, apud quos potest esse doctrina pura ab omni errore, licet sint falsa Ecclesia. 2.) Quia non sint notiores notato, *Sine dubio enim*, ait, *notius est, quid sit vera Ecclesia, quàm quæ sit vera prædicationis verbi, nam id ab Ecclesia discimus.* 3.) Quia non semper competant veræ Ecclesiæ, *Ecclesia enim*, inquit, *Corinthiorum & Galatarum vera Ecclesia erant, & tamen ibi non erat aliquando sincera prædicationis verbi.* Sed & ad 1. Falsò supponi, quod notæ debeant esse ita propriæ, ut ne quidem aliorum opinione, uti *Bellarminus* loquitur, pluribus sint communes, seu, ut non sint plures, qui eandem notam sibi vendicant, quod neque in se verum est, neque de notis *Bellarminianis* dici potest, uti ex sequentibus patebit. Quando enim Ecclesia falsa ac hæretica puram ac sinceram verbi prædicationem sibi tribuit, tunc è Scriptura falsitatis argui ac convinci potest & debet. Etiam Ariani olim Catholicos sese appellitarunt, & tamen *Bellarminus* hoc nomen inter notas Ecclesiæ primo statim ac præcipuo loco ponit. Sic vera ac propriissima nota



hominis sanæ mentis est, de rebus benè ratiocinari, & tamen quilibet fatuus hoc sibi arrogat, & vel sapientissimis sapientio rem se putat. De *Schismaticis* supra dictum. Ad 2. *B.* Mera est petitio principii, quod notius sit, quæ sit vera Ecclesia, quàm quæ sit vera prædicatio verbi; nisi enim de hac prius constet, impossibile est, ut quis de veritate Ecclesiæ certus esse possit, quippe quæ, fatentibus ipsis adversariis, à veritate doctrinæ pendet. Potest Ecclesia dici notior, notitia quadam confusâ & imperfecta, sed distincta atque accurata cognitio, quæ fallere non possit, non nisi ex qualitate doctrinæ hauriri potest. Ad 3. *B.* Ecclesia Corinthiorum & Galatarum utique fuit vera, & habuit omninò puram doctrinæ Apostolicæ prædicationem, licet *quidam* in ea fuerint Schismatici vel hæretici, quorum defectio toti cœtui præjudicare non potuit. De cœtero facile largimur, quod pura verbi prædicatio sit separabilis ab Ecclesia verâ, in sensu *diviso*, scilicet, quando deficit & desinit esse vera, sed non *composito*, quamdiu est & manet vera. Nemo enim Pontificiorum dicet, Ecclesiam hæreticam esse veram, licet Ecclesia vera per apostasiam à fide fieri possit hæretica, quod ipsius Ecclesiæ Romanæ exemplo abundè constat, quæ olim *Apostolica* fuit, & inter Apostolicas præcipua Rom. 1. 8. nunc verò facta est *Apostolica* & Anti-Christiana.

§. VI.

Quod si ex Adversariis quæras, quot & quanam ex ipsorum sententia sint notæ veræ Ecclesiæ? BELLARMINUS nomine omnium respondet; NOS quindecim notas proponemus, quæ, si quis velit, poterunt aliquo modo revocari ad illas quatuor, quæ communiter à recentioribus assignantur ex symbolo Constantinopolitano, unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam. Prima Nota est ipsum CATHOLICÆ Ecclesiæ & CHRISTIANORUM nomen c. 4. Secunda est ANTIQUITAS c. 5. Tertia est DURATIO diuturna nec unquam



quam interrupta. c. 6. *Quarta* AMPLITUDO sive multitudo & varietas credentium c. 7. *Quinta* SUCCESSIO EPISCOPORUM ab Apostolis deducta usque ad nos, hinc enim dicitur Apostolica. c. 8. *Sexta* CONSPIRATIO in doctrinâ cum Ecclesia antiqua. c. 9. *Septima* UNIO membrorum inter se & cum capite. c. 10. *Octava* SANCTITAS doctrinæ c. 11. *Nona* ejusdem EFFICACIA. c. 12. *Decima* SANCTITAS vita Doctorum c. 13. *Undecima* est GLORIA MIRACULORUM c. 14. *Duodecima* LUMEN PROPHETICUM c. 15. *Decima tertia* CONFESSIO ADVERSARIORUM c. 16. *Decima quarta* INFELIX EXITUS sive Finis eorum qui Ecclesiam oppugnant c. 17. *Decima quinta* FELICITAS temporalis Defensorum Ecclesiæ. *Quæ notæ* omnes non quidem *evidenter verum* faciunt, quòd Ecclesia, cui ex competunt, sit vera, sed tamen *evidenter credibile*, ita ut quilibet vir sapiens id meritò credere debeat. c. 13. col. 218. De his igitur quid habendum sit, breviter nunc dicemus.

§. VII.

*Prima* Nota vel ideo fallit, quia à nudo nomine ad rem ipsam n. v. c. Aliud est *esse*, aliud *dici* CATHOLICUM, quod nomen seculo demùm IV. contra Arianos tanquam nota discretiva usurpari cepit, quanquam & hi se vocarint *Catholicos*, & prout *Lactantius* dixit, *Singuli quique hereticorum cætus se potissimum Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant*, allegante Bellarmino, \* qui tamen notam aliàs, uti supra vidimus, ne quidem aliorum opinionione pluribus communem, pro genuinâ vult agnoscere. Quod si nomen *Catholica* Ecclesiæ sumatur, non tam ratione *quantitatis*, respectu omnium locorum, temporum & personarum juxta regulam *Vincentii Lerinensis*, (quo sensu veræ Ecclesiæ nec *semper* nec *soli* competit,) quam ratione *qualitatis* & respectu doctrinæ, quæ & ipsa *Catholica* dicitur, quando καθολικὴ & in univ-  
versum

( \* l. 4. de Ecclef. c. 1. §. 2. )



versum sacris literis est consentanea (in quo significato Ecclesia Catholica opponitur conventiculis hæreticorum, qui licet quandoque late se propagent & satis diu durent, fide tamen Catholicâ & Apostolicâ ac consensu veteris & veræ Ecclesiæ destituuntur,) tunc reipsâ coincidit cum *pura verbi prædicatione*, quam nos veram ac genuinam Ecclesiæ notam esse modò diximus. Hæc verò utrum Ecclesiæ Romanæ, an potius nostræ conveniat, instituto doctrinæ utriusque examine patebit. DILLINGENSES quidem olim in *Compos. Pacis* 2. 70. n. 98. dicam illis scripsere, qui ipsos cum additamento *Romano-Catholicos* appellarunt. Hodie autem ipsi Pontificii Religionem suam *Romano-Apostolico-Catholicam* frequenter appellant, uti ex nuperrimo edicto Regis Galliæ contrà Hugonotas constat.

#### §. VIII.

*Secunda* Nota pariter aut fallit, si ANTIQUITAS intelligatur à doctrinæ cœlestis veritate *sejuncta* ac separata, sic enim & Judæi & Gentiles gloriari possent de antiquitate religionum suarum; Aut coincidit cum *pura verbi prædicatione*, si de antiquitate sumatur cum veritate *conjuncta* & à primo principio ducta. Hoc enim sensu ad antiquitatem doctrinæ Prophetiæ aut Apostolicæ recurrendum erit, & illa Ecclesia pro antiquissima & verâ habenda, quæ doctrinam antiquam Prophetarum & Apostolorum profiteretur. Etiam doctrinæ Christi & Apostolorum *novitatis* crimen objiciebatur Marc. 1. 29. Act. XVII. 19. quæ tamen nova non erat, sed quoad substantiam eadem cum doctrina veteri Mosis & Prophetarum. Econtrario Pharisei in quæstione de *divortio* ad antiquitatem provocarunt, Christus autem eos ad primævam antiquitatem revocavit, & receptæ ac diuturnæ consuetudini opposuit illud: *Ab initio non erat sic.* Matth. XIX. 9. quod de pluribus adversario.



fariorum dogmatis verè dici potest. Sic *cultus imaginum & invocatio Sanctorum* prius controversa seculo demùm lIX. in Concilio Nicæno II. fuit stabilita; Dogma de *transubstantiatione* nec non *auriculari confessione* Seculo XIII. in Concilio Lateranensi; Dogma de *communione sub unâ* Sec. XV. in Concilio Constantiensi; Dogma de *immaculatâ B. Virginis conceptione* Seculo eodem in Concilio Basileensi; Dogma de *purgatorio* in eodem Seculo currente & quidem in Concilio Florentino pro articulo fidei haberi & venditari cœpit, cum antea in utramque partem de iis disputatum fuerit. vide MOLINÆI *Novitas Papatus*.

§. IX.

*Tertia Nota* DURATIONIS aut accipitur respectu temporis *præteriti*, & sic coincidit cum secundâ; aut *futuri*, & sic de præsentis nullam certitudinem gignit. Neque diuturnitas Ecclesiæ *semper & soli* competit, sed communis est illi cum Synagoga Satanæ & civitate Diaboli, cum Judaismo & Paganismo. De cætero Ecclesiam invisibilem, de quâ hic sermo non est, perpetuò duraturam esse nemo nostrum negat.

§. X.

*Quarta Nota*, quæ est AMPLITUDO, rursus nec *semper*, nec *soli* veræ Ecclesiæ competit, ut patet. Imò potius contrarium de verâ Ecclesia prædicatur, quòd sit *pufillus grex*. Luc. XII. 32. Conf. Esai. I. 8. 9. XI. 13. Sophon. III. 12. Cerrè Ariani olim tempore Imperatorum Arianorum Catholicos multitudine longè superârunt, quod cum Imperator Constantinus Liberio Episcopo Romano objiceret his verbis: *Quota pars tu es orbis terrarum &c.* hoc ab eo responsum rulit: *Non diminuitur solitudine mea verbum fidei &c.* Quid? quod veram Christi Ecclesiam  
inter.



interdum ad paucissimos redigi posse, & redactam fuisse, passim fateantur Adversarii. Multitudo errantium non parit errori patrociniū.

§. XI.

*Quinta Nota, SUCCESSIONE* nimirum EPISCOPORUM, genuina non est, si de successione *locali & personali*, seclusâ *doctrinali*, intelligatur. Alias & Synagoga *Judaica* tempore Christi de hac notâ gloriari potuisset, cum & ipsa successionem Pontificum inde ab Aarone deducere potuerit. Quemadmodum & hodie Ecclesia *Græca* successionem Episcoporum suorum usque ad tempora Apostolorum producit, nec tamen à Romanensibus pro vera & Catholica agnoscitur. \* Quare & necesse habuit fateri Bellarminus, argumentum à successione desumptum non procedere affirmativè, sed solùm negativè ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non est hæc successio, \*\* Jam verò genuinæ ac propriæ notæ competit, ut & affirmatè & negatè ex eadem concludatur. Uti enim remoto proprio res ipsa, cujus est proprium, removetur, ita & vicissimposito & affirmato proprio ponitur res ipsa, cujus est proprium.

§. XII.

*Sexta Nota, CONSPIRATIO* scil. in DOCTRINA cum Ecclesiâ antiqua, à nobis facillè admittitur, quia cum purâ verbi prædicatione

\* Hinc REHINGIUS Jesuita in *Excub. contra D. Meisner.* p. 16. inquit: *Habet Græca Ecclesia quidem seriem, si potestas ordinis spectetur, non diffitemur, sed ejusdem Doctrinæ prædicationem cum Majoribus communem & ab us deductam, quæ tamen series maximi ad veram Ecclesiam demonstrandam est momenti, minime habet.*

\*\* l. 4. de Eccles. c. 8.



catione coincidit, si de Ecclesiâ Apostolicâ primitivâ intelligatur. Quod si de Patrum scriptis id intellectum velint, quemadmodum REIHINGIUS de *consensu Patrum* exposuit, certe nota isthæc maximè fallibilis erit, quia & Patres sæpiùs errarunt, fatentibus Adversariis, qui propterea scripta eorum iudicio Ecclesiæ subjiciunt, & pro lubitu castrant, mutant, mutilant. Tutius ergò & rectius ex ipsis Apostolorum scriptis, quam ex Patribus judicatur, quænam doctrina verè sit Apostolica & Divina.

§. XIII.

*Septima Nota*, quæ est UNIO MEMBRORUM inter se & cum Pontifice Romano, tanquam capite, tam diu à nobis admitti nequit, quamdiu non constat, Pontificem Romanum à Christo constitutum esse caput Ecclesiæ visibile, de quo in *sect. 1.* diximus. Quin nec *sede vacante*, ut nuper, nec in casu, quo plures sunt Anti-Papæ, unio ista propriè locum habere potest, quando non constat, quis inter eos sit legitimus, quod de tempore Johannis XXIII. quo tres erant Papæ, fatetur Bellarminus. Jam verò nota debet esse perpetua.

§. XIV.

*Octava Nota* est SANCTITAS doctrinæ, quæ rectè exposita cum nostris notis coincidit. Ista enim doctrina demùm verè sancta est, quæ sanctissimo Verbo DEI consona est, & ad veram fidei & morum sanctitatem ducit, quod de Doctrinâ Ecclesiæ nostræ potius, quàm Romanæ affirmari potest. Affectata autem & simulata sanctitas, quæ in externo habitu, ritu ac gestu consistit, vix aliquam speciem sanctitatis habet. Idem quoque de Notâ

E

§. XV.



§. XV.

Nota *Nonâ*, EFFICACIA DOCTRINÆ sentiendum. Est enim efficacia vera ac salutaris proprietas ipsius verbi Divini. De cætero datur quoque *efficacia errorum* 2. Theſ. II, 9. à quâ piis sedulò cavendum. Conversio Indorum, de qua heic potissimùm gloriantur adversarii, qualis sit & quibus artibus fiat, ex publicis scriptis abundè constat. Quid? quod & à nostris Missionariis gentiles hodiè ad religionem Christianam eamque puram convertantur benè multi?

§. XVI.

*Decima* Nota, SANCTITAS VITÆ primorum Doctorum sive autorum religionis (*externa* puta, *interna* enim in sensu non incurrit) ideo genuina non est, quia cum falsitate doctrinæ, quemadmodum ex opposito improbitas vitæ cum doctrinæ veritate, optimè simul stare potest. Nam & Pseudo-Apostoli & falsi Doctores in *pracones justitiæ* sese transfigurare possunt, neque id mirum esse ait D. Paulus, cum & *Diabolus in Angelum lucis sese transfiguravit*. 2. Cor. XI. 12. *Certum est*, inquit ipse Bellarminus, \* *ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, non posse cognosci doctrinam, cum opera interna non videamus, externa autem sint communia utrisque, & propterea comparantur vestimentis ovium, quibus lupi quoque se tegunt.* Convitia & mendacia Adversariorum contra Lutherum nostrum perquam facilè in Pontifices Romanos retorquere possemus, & majori jure, sed ab his consultò abstinemus. Neque Lutherum pro primo Doctore & autore religionis nostræ habemus, cujus operâ & ministerio DEO sanctissimo uti placuit, ad reformandam, non plantandam de novo Ecclesiam.

§. XVII.

\* L. 5. de Lib. arb. c. 10. §. *hoc posito.*



§. XVII.

Nota *Undecim*, GLORIA MIRACULORUM nil probat, nisi hæc veritatem doctrinæ habeant conjunctam Deut. XIII. 1. sqq. Deinde donum miraculorum Ecclesiæ primitivæ proprium fuit, progressu verò temporis cessavit. Et si vel maximè hæretici vera miracula facerent, ipsis tamen credendum non esset, inquit *Schreinerus* Pontificius contra *D. Keslerum*. Quanto minus miracula ficta & fallacia solo aspectu externo talia fidem facere possunt doctrinæ cum verbo Dei pugnantis? Quid? quod ante approbationem Ecclesiæ, juxta *Bellarminum*, *certò non constat de veritate ullius miraculi*; \* Quomodo ergò miracula nota Ecclesiæ esse possunt, si non sunt notiora ipsâ Ecclesiâ, & ratione certitudinis ab hujus demum approbatione pendent; sic manifestus committitur circulus, dum miracula ex testificatione Ecclesiæ, & hæc ex miraculis adstruitur. Dantur etiam signa mendacia sic dicta, quia ad mendacium incautos pertrahunt & animo fallendi ac seducendi fiunt, qualia futura esse signa AntiChristi prædixit Apostolus. 2. Thess. II. 9. 10. De quibus *THOMAS I. P. q. 114. art. II. Etiam si sint vera AntiChristi miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros*. Nostra doctrina nova non est, nec miraculis opus habet aliis, quam quæ Christus & Apostoli ad confirmationem doctrinæ suæ, quæ cum nostra eadem est, magno numero patrarunt. Conf. Ebr. II. 3. 4. Johannes Baptista, ut & multi alii Prophetæ, nulla edidere signa, fatente *Salmerone*, & tamen veri Doctores fuerunt & à Deo missi. Cæterum *multorum Sanctorum miracula Siculis gerris vaniora & anicularum somnia esse*, *Erasmus* ad *Albertum Archiepiscopum Moguntinum* olim scribere non dubitavit.

E 2

§. XVIII.

\* L. 4. de Eccles. c. 14. §. est autem.



§. XVIII.

*Duodecima Nota, LUMEN PROPHETICUM, veræ Ecclesiæ nec solè, (Num. XXIV. 16. 1. Deut. XIII. 1. seqq.) nec semper convenit, sed inter dona extraordinaria ac temporaria referatur 1. Cor. XII. 10. Quanquam & nos vaticinia à B. Luthe- ro edita & ipso eventu comprobata allegare possemus. Vid. SAUBERTI Lutherus Propheta Germania.*

§. XIX.

*Decima tertia Nota, CONFESSIO ADVERSARIORUM, sal- tem perpetua non est, licet tanta sit veritatis vis, ut etiam ad- versarios cogat interdum sibi testimonium dare, ut ipse Bellar- minus limitat. Hanc verò, si quid ei tribuendum est, pro nostrâ Ecclesiâ facere, è FLACII Catalôgo restium veritatis, & GERHARDI Confessione Catholica &c. abunde liquet.*

§. XX.

*Tandem Nota decima quarta & quinta, INFELIX EXITUS Ad- versariorum, & FELICITAS TEMPORALIS Defensorum Eccle- siæ, multas patiuntur exceptiones, nam & Catholicos quan- doque infelicitè, hæreticos contra felici prælio dimicasse, histo- riarum monumenta loquuntur, nec ipsi adversarii diffiteri pos- sunt. Sæpè Deus permittit, ut etiam veræ religionis asserto- res succumbant, ut palàm fiat, Ecclesiam armis carnalibus ad sui conservationem non indigere; & prætereà infelix quando- que videtur piorum exitus. Sapienr. II. 3. V. 4. qui reverâ bea- tus & gloriosus est. Dulce enim est & gloriosum, pro causâ DEI & religione mori.*

*Sanguine fundata est Ecclesia; sanguine crevit.*

*Sanguine succrevit; sanguine finis erit.*

§. XXI.



§, XXI.

Quomodocunque autem sese habeant notæ istæ *Bellarminiane*, frustra de iis gloriatur Ecclesia Romana, cum reverâ ei non competant. Nam 1.) *Catholica* non est, sed particularis, & à doctrinâ Catholicâ, i. e. orthodoxâ dudum deflexit. 2.) Ecclesia Græca *antiquior* est Romanâ. 3.) *Duratio perpetua* cessabit juxta ipsos Pontificios tempore AntiChristi, quo nullus amplius cultus erit publicus. 4.) Major est *amplitudo* Ecclesiæ Orientalis quam Occidentalis. 5.) Filium *successionis* personalis ( doctrinale enim planè nullum est ) sæpè per diurnam sedis vacationem, vel & injustam occupationem, & præsertim per Antipaparam dissensionem diu multumque interruptum fuit. Et ipse *Baronius* ad ann. *DCCCCXII.* multos *PseudoPontifices* in Catalogo Pontificum Romanorum scriptos memorat, quos à potentissimis ac sordidissimis meretricibus intrusos esse, & à nemine pro legitimis Petri successoribus haberi posse ait. 6.) Tantum abest, ut *Consensum cum veteri* Ecclesia probare possit Romana hodierna, ut potius *conspirationem* cum variis hæreticis ab Ecclesiâ veteri damnatis facile sit animadvertere. 7.) *Unio membrorum inter se* & cum capite per contentiones & dissidia inter Thomistas & Scotistas, Molinistas & Jansenistas, Franciscanos & Dominicanos haud parum læditur. 8.) *Sanctitas doctrine* qualis sit in Papatu, è scriptis Moralistarum & Caluistarum satis liquet. 9.) *Efficaciam erroris* quidem, quam mysterio iniquitatis tribuit Apostolus, 2. Thessal. II. 10. in eâ deprehendimus; *Doctrinæ* autem & veritatis cœlestis jure desideramus; aliâs quid opus esset tot artibus & dolis, tot promissionum illecebris & tormentorum terribilitatis? Legantur acta *Inquisitionis Hispanica* & Collegii de *propagandâ fide.* 10.) *Sanctitas vitæ primorum autorum Religionis*, si per hos intelligantur vel Pontifices Ro-



mani , vel Institutores ordinum religiosorum, in plerisque adeò laudabilis non fuit. 11.) *Miracula*, quæ jactant, maximam partem falsa sunt & fictitia, quemadmodum & 12.) *Revelationes* pleræque tam vanæ & insulsæ sunt, ut fidem à cordatoribus in ipso Papatu impetrare nequeant. 13.) *Confessio Adversariorum* ad errores Ecclesiæ Romanæ extendenda non est, quamvis de cætero non dissimulent nostri, si quid adhuc boni in ea superest. 14.) De *infelici exitu* Reformatorum nostrorum multa falsissimè deblatèrant adversarii, ipsius verò Reformationis exitus per Dei gratiam satis felix fuit. 15.) *Felicitati temporali* Eccl. Rom. multum decessit per plagas inde à tempore reformationis ei illatas, de quibus ipsa in hodiernum usque diem valdè conqueritur. Hactenus de Ecclesiâ *Syntheticâ* sive collectivâ.

Sequitur, ut dicamus de

## ECCLESIA REPRÆSENTATI- VA IN CONCILIIS.

Ubi sequentes Pontificiorum errores notamus :

I. Quod Jus convocandi Concilia sit penes Pontificem Romanum.

II. Quod Præses Concilii necessariò debeat esse Episcopus Romanus vel ejus Legatus.

III. Quod soli Episcopi habeant Jus suffragii decisivi in Conciliis generalibus & Provincialibus, saltem ordinariè.

VI. Quod



IV. Quod Papa sit suprâ Concilium, & quod Concilia per ipsius confirmationem reddantur infallibilia.

§. I.

De his singulis breviter nunc dicemus pro ratione instituti nostri. Benè enim SCHERZERUS observat, totam hanc tractationem de Conciliis omitti posse, eò quod nomen Concilii reverâ sit *larva* apud Pontificios, *inter pueriles ineptias & crepundia numeranda*. Quodsi enim omnis autoritas Conciliorum tandem resolvitur in solam autoritatem Pontificis, & unum ac solum Papatus fundamentum est & manet hoc, quod Papa sit infallibilis & supremus omnium Controversiarum Judex, isque inappellabilis, quid, quæso, opus est Conciliis? quæ non absque multis difficultatibus & magnis sumptibus congregantur, & nunquam ita ex toto Orbe Christiano congregari possunt, ut absolutè & simpliciter œcumenica seu universalia appellari queant. Si decreta Conciliorum absque confirmatione Pontificis nil valent, cur non ipse per compendium rem omnem agit, & obortas fidei controversias pro suâ, quâ scilicet pollet, autoritate solus dirimit ac definit? Quid opus est ambagibus istis, quibus v.g. in faciendis Concilii Tridentini decretis usi sunt Pontifices istius temporis, teste PETRO PAULO VERGERIO, Episcopo quondam Justinopolitano, postea Ecclesiæ nostræ Profelyto, qui heic Tubingæ diem obiit, & cujus memoria apud nos in benedictione est, in Epistolâ ad Episcopos Italix scripta, ubi ait: *Ipsi (Paulus V. & Julius II.) fabricabant decreta, & ea Tridentum mittebant*. Quod potest fieri per pauca, (per unum hominem, Pontificem puta,) non debet fieri per plura (per trecentos, quadringentos, aut plures Episcopos in Concilio congregatos.



garos, qui nisi cum sententiâ & iudicio Apostolicæ sedis consentiant, nullum formare possunt decretum, juxta *Bellarminum*; \* Scilicet, nil quicquam profunt Concilia, stante hypothese de infallibilitate Pontificis Romani, quam ut multitudinis obtentu & prætextu simpliciores majori cum apparatu decipiantur ac demententur.

§. II.

Quod primum punctum attinet, *Pontificii* statuunt, potestatem & Jus convocandi Concilia generalia ad Pontificem Romanum propriè pertinere, sic tamen, ut possit etiam alius, Pontifice consentiente, Concilium indicere, quin etiam factis sit, si indictionem factam ipse postea ratam habeat & confirmet, si verò indictio fiat absque mandato vel consensu, vel approbatione Pontificis, illud non Concilium, sed Conciliabulum fore. *Nestra* verò sententia est, Jus atque auctoritatem indicendi Concilia œcumenica non esse penes Pontificem, sed penes Imperatorem, concurrentibus Principibus exteris, quorum quilibet potest facere, quod suum est. Quod probatur seqq. argumentis:

I. *Quia* Reges & Principes Iſraëlitarum in V. T. hoc jus habuerunt & exercuerunt, non obstante, quod Ecclesia Iſraelitica habuit summum Pontificem ab ipso DEO constitutum. Constat enim ex Historiâ sacrâ, conventus & Synodos in populo DEI non ab Aarone sacerdote, sed à Mose, Duce & gubernatore populi; neque ab Eleasaro, sed à Josua; & deinceps non à summis Sacerdotibus, sed à Judicibus, tandemque à Regibus in Ecclesiâ Iſraeliticâ convocatas esse 1. Paral. XXIII. 1. Reg. II. 1. 2. Paral. XXIX. 4. 2. Reg. XXIII. 1.

II. *Quia* etiam Christiani Imperatores, teste *Socrate*,  
primi

---

\* de Concil. L. II. c. 2.



prima quatuor Concilia œcumenica, & deinceps plura alia convocârunt: Constantinus M. Concilium *Nicanum* contrâ Arium; Theodosius Senior *Constantinopolitanum* contrâ Macedonium; Theodosius Junior *Ephesinum I.* contra Nestorium; Martianus *Chalcedonense* contrâ Eutychetem; Ad quorum exemplum provocat Imperator Justinianus in literis, quibus Synodum Œcumenicam quintam, *Constantinopolitanam* II. convocavit; Sed & Carolus M. in Galliâ quinque Concilia provincialia celebravit & unum generale *Francofurti*, in quo damnata fuit sententia Synodi Nicænæ II. *de cultu imaginum*, quam Constantinus & Irene congregârunt. Ut de aliis jam non dicamus.

III. *Quia* ipsimet Episcopi Romani ab Imperatoribus petierunt, ut Concilia, exigente necessitate, convocarent, quod sanè non fecissent, nisi Imperatoribus hoc jus competere agnovissent; Ita LIBERIUS Episcopum Luciferum cum Pancratio Prebytero misit ad Constantium Augustum, ut ad procurandam pacem Ecclesiarum Catholicarum Concilium ab ipso impetrarent. Pariter LEO Episcopus Romanus Theodosium Imperatorem & Pulcheriam Augustam per literas rogavit, ut fieret intra Italiam generale Concilium, his verbis usus: *Omnes mansuetudini vestra cum gemitibus & lachrymis supplicans sacerdotes, ut generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari*, quod tamen ab Imperatore impetrare non potuit, qui Concilium istud, ut modo dictum, Ephesi in Asia indixit.

§. III.

EXCIPIT quidem BELLARMINUS *Primò*, longè aliam & diversam rationem esse Pontificum primorum seculorum & subsequentium temporum, & inter causas, quare prima quatuor Concilia Œcumenica non solus Pontifex indixerit, *quarto loco* hanc affert, quia eo tempore Pontifices in temporalibus sese

F

Impera-



Imperatoribus subjecerint, & propterea infcio ac invito Imperatore tale quid agere non potuerint; hodiè verò rem longè aliter se habere, cùm Pontifex in suis provinciis fit Princeps summus temporalis nulli subjectus, id quod divinâ providentiâ factum esse cenfet Promachus ille sedis Romanæ, ut *Pontifex munus suum liberè exequi posset*. Verùm enim verò licet & nos differentiam inter Pontifices veteres & recentiores ultrò agnoscamus, cùm Episcopi Romani primorum temporum subsequentiis multò meliores fuerint, ratio tamen allegata ex duplici capite nulla est, tum quia manifestam continet petitionem principii, tum quia provinciæ istæ, in quibus Pontifex Rom. summus Princeps temporalis esse dicitur, intrâ Italix limites continentur, Concilia verò Oecumenica ex toto Orbe Christiano convocari debent. CANONISTÆ quidem impudenter statuunt, Papam esse *totius Orbis Christiani Dominum*; at Bellarminus rectius his sentit \* & contrarium multis confirmat. Cum igitur potestas convocandi præsupponat Dominium & jurisdictionem, & sit actus potestatis civilis & coactivæ, is qui non est Dominus totius Orbis Christiani, etiam non habet jus & potestatem convocandi Episcopos ex toto Orbe Christiano. Prius admittit Cardinalis de Pontifice Romano, admittat ergò & posterius. *Secundò*, Concilia ista Oecumenica ab Imperatoribus quidem indicta fuisse ait, \*\* sed ex *Pontificum sententiâ & consensu*, quia tunc vigeat adhuc *Lex illa Imperialis antiqua, qua prohibebat omnia Collegia & frequentes hominum conventus sine Imperatoris autoritate*. Verùm quæstio non est de consensu convocatorum, sed de potestate convocandi, quam Imperatoribus isto tempore revera competiisse allegata exempla demon-

\* L. 1. de Confil. cap. 13. §. quarta ratio.

\*\* L. c. §. habemus.



monstrant. Quòd si mens Bellarmini hæc est, quod indictio Imperatorum suspensa fuerit à consensu Pontificum Romanorum, ita ut sine hoc valida & legitima esse non potuerit, falsum id esse evincitur ex verbis ipsius modo allegatis, quia eo tempore Pontifex Imperatori in temporalibus subiectus, consequenter & obligatus erat, ad mandatum Imperatoris comparere. Quin & dissentiente quandoque Pontifice circà locum & tempus Imperatores Concilia indixerunt, ubi & quando ipsi visum fuit, uti exemplo Leonis suprâ allegato constat.

§. IV.

Contrariam sententiam eorum, qui negant, Concilia fieri posse sine consensu Papæ, Aeneas Sylvius (postea Pontifex Pius II.) \* *ruinam Ecclesie secum trahere, & tempore Constantini & aliorum Augustorum consensum Pontificum non magno opere quaesitum fuisse* affirmat, quamvis sententiam suam deinceps ad folium Papale evertus mutarit, quemadmodum scriptor quidam Pontificius excipit, *Aeneam, cum juvenis & Aeneas esset, ita sensit, sed ubi adolevit ac Pius evasit, sententiam mutasse, quam mutationem in pejus factam esse, nos nulli dubitamus.* Quod si in nullo casu sine Pontificis autoritate verum ac perfectum Concilium convocari potest, quod autoritatem habeat definiendi quaestiones fidei, quod Bellarminus \*\* asserere non veretur, quaeso, quid faciendum in casu, si Papa fiat haereticus aut schismaticus, quod fieri posse non negat Cardinalis; aut si debitam Ecclesiae curam non gerat; aut, si plures sint Antipapæ, quo in casu Papa dubius & incertus haberetur pro non-Papæ; Numquid quaestiones fidei propterea tam diu indecise & in dubio relinquendæ sunt? Absit, ut hoc dicamus.

F 2

§. V.

(\* L. r. de gestis Concilii Basil.)

(\*\* l. c. §. ultimò)



§. V.

ARGUMENTA, quibus utuntur DD. Pontificii, profus sunt fi-  
culnea: Nam 1.) Concilia quidem in nomine Christi congregari  
debent, Matth. XII. 20, sed non in nomine Antichristi, seu  
illius, qui se Vicarium Christi appellat, reipsâ verò tanquam  
Christo se opponit. 2.) Falsò supponitur, Ponti-  
ficem Romanum totam Ecclesiam Christianam sibi subjectam  
habere. Vide quæ suprâ Sect. 1. de capite Ecclesia visibili in  
hanc rem dicta sunt. 3.) Canon, quem Bellarminus anti-  
quissimum vocat: *Præter sententiam Pontificis Romani non posse  
Concilium celebrari*, nullibi scriptus extat, & propterea à SCHER-  
ZERO rectè *Utopicus* appellatur, nullibi repertus, nullibi con-  
firmatus. 4.) Quid mirum, Pontifices Rom. recentiores idem  
statuere, scilicet in propriâ causâ, ubi nemo testis esse potest.  
Quare his tam piè & rectè nos regerimus, quam impiè Pha-  
risæi Christo objecerunt Joh. IIX. 13. *Tu testaris de teipso, te-  
stimonium tuum non est verum.*

§. VI.

Quod alterum punctum concernit, sententia Pontificio-  
rum huc redit, quod PRÆSIDIUM in Conciliis Oecumenicis  
competat soli Pontifici Romano vel ejus legatis. Ita BELLAR-  
MINUS: \* *Papa proprium munus est, inquit, vel per se, vel per le-  
gatos præsidere.* Et rursus: \*\* *Concilium generale legitimum non  
est, in quo non præsidet Pontifex, aut alius ejus nomine.* Et HA-  
GERUS: *Omnibus, ait, Conciliis œcumenicis vel Papa, vel ejus Le-  
gati præsiderunt.* Utrumque autem falsum esse, tum ratione  
juris, tum ratione facti, probatur argumentis sequentibus:

I. Quia

(\* L. 1. de Concil. c. XIX.)

(\*\* L. 1. de Concil. c. 4. §. 2.)



I. *Quia* hæc assertio nititur falso supposito, tum quòd Papa sit supremus Controversiarum Judex, tum quòd jus convocandi Concilia ei soli competat, de quo modo dictum. Eadem enim est ratio præsentia, quæ indictionis. Nos utrumque negamus; Neutrum adversarii idoneo argumento hætenus probarunt. Onus verò probandi affirmanti incumbere apud omnes in confesso est.

II. *Quia* Historia omnium temporum reclamat; In Concilio enim primo Apostolico, quod sequentium norma & exemplar esse debet, Petrum, de cujus successione gloriantur Pontifices Romani, præsedisse, Lucas nusquam asserit, neque is vel primum in illo Concilio votum habuit. Act. XV. 7. vel sententiam definitivam tulit, quæ Jacobo potius adscribitur v. 19. eò quod istius Ecclesiæ Episcopus esset, juxta *Lyrannum*. Plus juris autem sibi arrogare non possunt Episcopi Romani, quàm habuit aut exercuit Petrus, cujus successores illi audire volunt; Quod ipsum argumentum urserunt Patres Concilii *Basilensis*, dicentes, Papæ Legatos non oportere Præsides esse, quia nusquam legatur, Petrum in Concilio præsedisse. Deinde in Concilio primo Oecumenico *Nicano* Præsides fuit ipse Constantinus Imp. ac primo loco subscripsit *osus* Episcopus Cordubensis, qui prudentiâ & doctrinâ alios antecelluit, & à Bellarmino perperam pro Legato Sylvestri, Pontificis Romani venditur. In Concilio *Constantinopolitano* 1. Præsides fuit, facente Bellarmino, Nestarius, loci Episcopus; Episcopi verò Romani in illis Actis nusquam sit mentio, In Concilio *Ephesino* Præsides Ecclesiasticus fuit Cyrillus, Episcopus Alexandrinus, quem suo, non Romani Episcopi, Cælestini, nomine Synodo præfuisse, Acta publica testantur. Decreta verò Synodi istius ipse Imp. Theodosius junior, tanquam Præsides Politicus, sua autoritate corroboravit. In Concilio *Chalcedonensi* Legati



gati quidem Romani Pontificis primas tenebant inter Episcopos, his verò omnibus Imp. Marcianus initio quidem per Legatos, deinde in propriâ personâ, non solùm defensionis causâ, sed & cum autoritate dicendæ sententiæ præfuit. De cæteris vid. HULSEMANNI *Manual.* p. 1347. 1399.

III. *Quia* conditio Pontificis Romani id non permittit, saltem non semper. Fieri enim potest, ut in hæresin prolatabatur, quo in casu minus tutum foret, præsidium ac directorium Concilii ipsi committere. Fieri etiam potest, tempore Schismatis, ut de certo Pontifice non constet. Dubius verò Papa habetur pro nullo. Fieri denique potest, & sæpè factum est, ut Pontifex sit reus, & proinde Judicis partes sustinere nequeat.

§. VII.

ARGUMENTA contraria nil probant, sed 1.) Merè sunt petitiones principii & nituntur falsâ hypothesi, quòd Pontifex Romanus sit Episcopus Oecumenicus & caput totius Ecclesiæ visibile, de quo suprâ *sect. 1.* egimus. 2.) Ab autoritate *pascendi* ad autoritatem & jus præsidendi perperam concludunt. Omnes enim Episcopi & Presbyteri sunt Pastores, nec tamen omnes Conciliorum Præsides esse possunt. 3.) Præsides Concilii non est absolutè necessarius, neque præcisè unus, cùm possint esse plures. 4.) Duplex est præsidium, aliud *Politicum*, aliud *Ecclesiasticum*; Alterum *Jurisdictionis*, alterum *Directionis*; Illud competit Imperatori vel ejus Legato; Hoc verò uni vel pluribus Episcopis ad hoc officium idoneis à reliquis mandari potest pro arbitrio. 5.) In quibusdam Conciliis Legatos Episcopi Romani præsedisse novimus, sed hoc semper & ubique factum, & absolutè ac simpliciter necessarium esse negamus.

§. VIII.



§. VIII.

Quoad tertium punctum de *ASSessoribus* Concilii, Pontificii quidem putant, solos *Episcopos* ordinariè habere jus *suffragii decisivi*; ex privilegio autem & consuetudine etiam *Cardinales*, *Abbatès* & *Generales Ordinum*, licet *Episcopi* non sint; ex *Presbyteris* verò & aliis *Clericis* minoribus tantum vocari *Viros* aliquos doctos, ut *Episcopos* juvent in disputando. *Principes* vocari, tum ut Concilium defendant, tum ut testes sint & concilii decretorum Concilii, & postea transgressores & contumaces puniant. Denique ex *Laicis privatis* aliquos vocari, qui videantur utiles vel necessarii ad aliquod ministerium. \* *NOS* verò existimamus, ex quovis hominum ordine pios ac eruditos *Viros* eligi posse, qui ad Concilium mittantur, & in eo sententiam dicant. Idque probamus:

I. *Exemplis* Concilii *Apostolici* & aliorum antiquorum Conciliorum in Ecclesiâ primitivâ celebratorum; In illo enim convenerunt *Apostoli* & *Presbyteri*, ut de hac re dispicerent. Act. XV. 6. His verò etiam *Imperatores* ac *Principes*, *Senatores*, *Judices*, aliique homines *Laici* non modo interfuerunt, verùm & sententias dixerant & subscripserunt, sicut ex actis constat. De *Nicano I.* constat, *Sophistam*, quem *Episcopi* vincere non poterunt, ab homine laico victum esse. Et in *Antiocheno* *Malchio Philosophus* primas ferè tenuit.

II. Ex *Natura* Conciliorum, quæ universam repræsentant *Ecclesiâ*, adeoque & meritò ex omnibus ordinibus constare debent. Quod enim omnes tangit, ab omnibus curari debet, ita tamen, ut omnia ordine gerantur & *εὐχρηδώς*.

III. Ex officio, quod non *Episcopis* solùm, sed & aliis *Clericis*

(\* Ita *Bellarminus L. I. de Concil. c. 15. §. 5.*)



ricis juxtà ac Laicis incumbit, ut *caveant à Pseudoprophetis* Matth. VII. 15. & *spiritus probent* I. Joh. IV. 1. qui Conciliorum præcipuus finis est.

§. IX.

Quid? quòd ipsa necessitas requirat, ut præter Episcopos etiam alii in Conciliis audiantur & ad suffragia decisiva admittantur, cùm sæpè fiat, ut illi necessariis requisitis ad definiendas fidei controversias non sint instructi, & sacrarum, si non planè omnium, literarum rudes & ignari. Quod si responderis, ait DIDACUS STELLA in *Lucam fol. 184.* quòd hi Episcopi secum ducant doctos Theologos, qui eos illuminent, dirigant & doceant, (vel, ut Bellarminus *l. c.* loquitur, *ut eos in disputando juvent*) ut nostris temporibus contigit in Concilio Tridentino; in hâc quidem re non possum mihi temperare à risu; Nonne melius hi quidem Episcopi facerent & salubrius, si Episcopatus suos renunciarent Theologis, quos agnoscunt magis aptos ad tale munus esse, quod quidem ipsi negare non possunt. & c. Rectè igitur HÜLSEMANNUS: \* *Quantum, inquit, ad Judices in Concilio attinet, dicimus & asseveramus, summam iniquitatem esse, quod solè titulati Episcopi judicium de rebus fidei sibi arrogant, contra sui Divinum pariter & Ecclesiasticum, & contra praxin Apostolica Ecclesia. In primo enim Apostolorum Concilio, notorium est, Apostolis & Presbyteris esse commissam controversiam ad dijudicandum, Act. XV. 2. 4. Apostolos quoque & Presbyteros dijudicasse, decidisse, rescriptum concepisse, subscripsisse, obsignasse pariter, quòd aliquoties repetitur, V. 6. 22. 23. 25. Quantum de Jure Ecclesiastico, nullus hæcenus visus est, qui vel umbram statuti Veteris Ecclesie, aut Conciliorum proferre potuerit, quo Presbyteri à judicii decisivis in Concilio, seu provinciali, seu Oecumenico arceantur, non Bellarminus, non Coccius, non Baronius, qui aliàs cateris glaciem frangere solent. Econtra prostant infinita exempla Conciliorum toto orbe omnibus sæculi congregatorum, quibus Presbyteri non consulendo so-*

lùm

(\* in Manuali Aug. Confess. p. 1287.)



lum aut assentiendo, sed & definiendo subscripserunt: quomodo de primis Conciliis, Romano sub Cornelio contra Novatum coacto, Anno Christi 255. Et Antiocheno, contra Sarnofarenum, Eusebius lib. 6. cap. 43. & l. 7. c. 22. 30. testatur, utrique tam Presbyteros quàm Episcopos subscripsisse; Acta vero ipsa interciderunt, Præter Exemplorum seriem habemus Antiquitatis decreta pro nobis, 1. Concilium Antisiodorense, quod can. 7. sic definiuit: ut omnes Presbyteri omnesque Abbates ad Concilium conveniant, non ad consultandum solum, sed ad decidendum quoque, ut subscriptio monstrat. 2. Concilium Toleranum IV. Anno 633. quod subscriptionem quidem Episcopis, sed definitionem communi deliberationi injungit. 3. Concilium Tarraconense, ad Ann. Christ. 615. &c. Id verò mirari subit, cur Papiſte solis Episcopis decisivam in Concilio vocem vendicare contendant, cum ne decendant quidem Episcopi, sed solus Pontifex aut ejus Legatus, id quod in Concilio Tridentino patuit, adeo, ut non decisivum solum judicium Episcopis ademptum sit, sed & proponendi ac disputandi potestas, quando Decreto de celebrando Concilio Sess. 17. hæc clausula inserta est: ea tractanda esse, quæ proponentibus ac præſidentibus Legatis apta visa fuerint. Nonne verò hæc insignis ludificatio est Papiſtarum, quæ depugnant pro judicio decisivo solis Episcopis vendicando, & cum ad Episcopos ventum est, soli Romano illud jure competere contendunt? quomodo salvis suis hypothefibus Jesuita non aliter possunt, quod prudentibus cognitum est. Hactenus verba Hülsemanni.

§. X.

Ad ARGUMENTA contraria Adversariorum Resp. 1. Aliud est publicè docere in Ecclesia; & aliud de rebus fidei ex verbo DEI judicare, quod posterius etiam Laici piè eruditi præstare possunt ac debent. Act. XVII. II.

2.) Episcopi jure divino Presbyteris superiores non sunt, & hi non minus ac illi sunt Pastores Ecclesie. Quod si ergò Episcopis, ut Pastoribus, competit jus controversias decidendi, quidnè & Presbyteris?

G

3. Con-



3.) Conciliis Laicos excludentibus opponimus alia Concilia, in quibus Laici fuere admissi, ut dictum, pro quibus militat regula *juris Canonici: Fides est universalis & omnium communis, nec solum ad Clericos; verum etiam ad Laicos & omnes omnino pertinet Christianos.*

§. XI.

Denique circa quartum punctum ipsimet Pontificii inter sese digladiantur, aliis Papam *infra*, aliis & plerisque *supra* Concilium collocantibus. Sic BELLARMINUS: \* *Summus, ait, Pontifex simpliciter & absolute est supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se iudicium agnoscat.* Nec tamen audet, \*\* *sententiam contrariam, quod concilium sit supra Papam, plane hæreticam judicare, quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi damnati, neque libri eorum unquam prohibiti fuerint; Ita tamen manifestè erroneam esse contendit, ut merito possit Ecclesiæ iudicio pro hæretica declarari.* Id verò Pius II, Pontifex Romanus à se & fratribus suis Cardinalibus jam dudum factum esse scripsit *in Epist. 415. ad Senatum Norib* ubi *diabolicam hæresin* vocat, quod quidam sibi jus appellandi à Papa ad Concilium vendicent & putent, Concilium esse *supra* Papam. Idem fecit Pius IV. Leo X. & alii. Cur verò Bellarminus hoc dissimularit, & sententiam hanc pro hæretica declarare ausus non fuerit, ratio in promptu est, nimirum, quia, quod fatetur ipse, tempore Concilii Pisani, Constantiensis & Basileensis plurimi Doctores, Episcopi & Cardinales in istam sententiam iverunt. Aliorum confessiones magno numero adducit GERHARDUS in *Confess. Cathol.* quas inter verba *Gerfonis*, Cancellarii Parisiensis, cum primis notatu digna sunt, qui admodum *pernicio-*

103

(\* L. 2. d. Concil. c. 15.)

\*\* In recognit. lib. de Summo Pontif. c. 2.)



*fos adultores esse ait, qui Tyrannidem hanc in Ecclesiam invehunt, quasi Pontifex à Concilio judicari nequeat, nullisque legum teneatur vinculis, neque factorum ab eo possit exigi ratio; Que monstra verborum cum Legibus, aequitate ipsaque ratione pugnantia quam maxime rejicienda esse pronunciat.*

§. XII.

Nos illis subscribimus, qui Concilium supra Papam esse sentiunt, ob rationes sequentes:

I. *Quia* Scriptura nusquam testatur, unius Petri majorem fuisse autoritatem, quam totius Collegii Apostolici, vel ipsius Ecclesie, quin contrarium potius colligitur ex Act. I. VI. VIII. XI. XV. Galat. II. II. sqq. Ergò multo minus Pontifici Romano, qui se Petri successorem esse gloriatur, tale quid tribuendum erit.

II. *Quia* Christus judicium in his terris quoad spiritualia ultimum tribuit Ecclesie, non uni alicui homini, quando ait: *Dic Ecclesie, quam si audire nolueris, habebitur tibi quasi Ethnicus & publicanus.* Matth. XIX. 17. quem locum vel solum sufficere posse ait SCHERZERUS. Quin & ipse Cardinalis, ubi de infallibilitate Conciliorum agit, contra nos utitur hoc argumento, quòd Patres dicant, Concilium generale esse *ultimum Ecclesie judicium*; id quod falsum foret, si Papa supra Concilium esset.

III. *Quia* Papa, quando interest Concilio, sive in propria personà, sive per Legatos, est pars seu membrum Concilii, quod totam repræsentat Ecclesiam; Jam verò pars nunquam est major aut potior toto suo. Ergo nec Papa Concilio. Hinc modò laudatus Gerson ait, quærere, *an Papa sit major Concilio?* perinde esse ac si quæras, *an pars sit major suo toto?* Quid & quod fateantur ipsimet adversarii, quod Papa à Concilio generali hæreseos convinci, judicari & deponi possit, quo sane in casu Concilii major erit autoritas. Cui sententia in



Concilio *Pisano, Constantiensi & Basileensi* olim definitæ in hunc usque diem patrocinator Ecclesia Gallicana, de quâ ANDR. RIVETUS in *Cathol. orthodox.* p. 273. ait: *Novi duas tertias Pontificiorum, qui in Galliâ vivunt, veteri Sorbonæ doctrina adherere, quòd Concilium sit suprâ Papam.*

S. XIII.

Ex quo sponte suâ fluit, Concilia auctoritatem suam non habere à Pontifice Romano, multo minus per hujus approbationem & confirmationem fieri *infallibilia*. Quod enim quis non habet, id nec alteri dari potest. Papam esse Judicem controversiarum infallibilem adhuc probandum est. Deinde veritas decretorum ad confirmationem Pontificis procul dubio se habet antecedenter, cum nulla propositio de præfenti aut præterito sit indifferens ad verum & falsum. Denique Concilia etiam à Pontifice confirmata actu errasse constat exemplis v. g. *Neocesariensis*, quod secundas nuptias damnavit; *Sardicensis*, quod, Augustino teste, Arianismum fovit; *Toletani I.* quod concubinatum approbavit &c. Solum quippe DEI verbum est infallibile. Omnis homo mendax, i. e. fallibilis & errori obnoxius. Nec magis Concilia dici possunt infallibilia, quam Doctores privati, ex quibus constant, (licet de cætero major totius Synodi, quam singulorum, sit auctoritas,) nisi *quatenus & in quantum* sequuntur normam verbi Divini, juxta quam examinari debent. 1. Joh. IV. 1. 1. Thess. V. 21. Et à cujus ~~dispositio~~ omnem suam mutuatur auctoritatem, ira ut decretorum non obligent in foro conscientie interno, nisi quatenus constat, ea concordare cum Verbo DEI. Neque verò necesse est, ut sit in Ecclesiâ judicium aliquod infallibile externum, quo controversie fidei dirimantur, sed sufficit fidelibus, ad conscientie suæ tranquillitatem, judicium definitivum interius ad divinum Spiritus sancti in Scriptura loquentis, eosque in omnem veritatem ducentis Joh. XVI. 13.

S. XIV.



6. XIV.

De Concilio TRIDENTINO quæ Protestantium mens & sententia & olim fuerit, & hodiernum sit, videre licet ex scripto illo publico, quo Electores, Principes aliique Status August. Confessionis causas exposuerunt, quare in eo comparere noluerint. Cujus summam beatæ ac gloriôsæ memoriæ Princeps Wirtembergiæ LUDOVICUS verè Pius in præfatione suâ Editioni Germanicæ, quæ heic Tubingæ prodiit Anno 1583. præfixâ his verbis nervosè complexus est: In ermeldter Recufations-Schrifft werden zwölff wichtige Ursachen vermeidet, warumb gedachte Ehr, Fürsten und andere Stånd der Augspurg. Confession das Tridentische Concilium nicht für ein rechtmäßig und Christlichs Concilium erkennen. Nemlich: 1.) dieweil es nicht dem Pabst zu Rom, sondern dem Römischen Kayser gebühre, ein Concilium auszuschreiben, 2.) und der Pabst das Tridentische Concilium an ein solches Orth verlegt, welches den Teutschen unbequem, und nicht allerdings sicher besuchet werden möge. 3.) Wie es auch nicht ein allgemein Concilium, sondern ein solches Particular-Werck, da die Beyseher allein aus etlichen Ländern beschrieben und gesammelt worden, welche (aus Mangel genugsamen Berichtes) dem Römischen Pabst allzu steiff anhangen: 4.) und so viel destomehr, weil untaugbar, daß die Beyseher oder Patres dieses Concilii dem Pabst mit harten, erschröcklichen und ungöttlichen Eyds-Pflichten verwandt, und gegen ihme hoch verbunden: Dagegen Gottseeligen und reinen Lehrern in selbigen Concilio kein Platz oder Session gegeben, sondern wider alle Billigkeit, ausgeschlossen worden. 5.) So haben auch die Pabst, so sich mit diesem Concilio bemühet, dem theuren Wort Gottes diese Ehr und Ansehen nicht gegönnet oder zugelassen, daß selbiges (wie es doch seyn sollte) die einige Richtschnur seye, nach welcher in Glaubens-Sachen der Beschluß gemacht werden solle: sondern solche Autorität und Ansehen haben sie den Menschen-Satzungen und menschlichen Decretis heimgeben. 6.) Es seye auch der Stånd des Pabsthumbs und der Pabste Regiment von vielen, ja auch etlich hundert Jahren so gar verderbt und verkehrt, daß von den Römischen Pabsten und ihren Gesellen (als die vorlängst mit unersättlichem Geitz, überfluß und Pracht, Hoffart, Tyranny, und abscheulicher Unzucht, besieckt und beschmeißt) billich kein Urtheil oder Decision über die eingefallene Religions-Stritt begehrt oder bey solchen Leuten gesucht werden soll: weil auch die Canones und alte Geistliche Regultn dergleichen



hen Leut von Entscheidung der Religions-Streit als unrichtige Personen ausschließen: 7.) So seyen auch die Römische Pabst und ihre Gesellschaft dermassen in dem Laster der Simoney öffentlich ergriffen, (als denen Gott selbst, und alle geistliche Güter feil seynd, ) daß sie billich von allen Berathschlagungen, in denen etwas von der Christlichen Religion gehandelt wird, abgehalten werden sollen. 8.) Auch haben die Mönche und Römische Pabst die Christliche Religion in vielen Stücken so übel verkehrt, daß ihre Papistische Lehr und neue Glaubens-Articul, mit den Schriften der Propheten und Apostel nicht übereinstimmen, sondern denen widerstreben: Darum dann solchen Leuten nicht gebühren wolle, daß sie von denen Spaltungen, so sich in Religions-Sachen begeben, Urtheil sprechen sollten. 9.) Über das alles könne auch dieser Ursachen halber das Tridentische Concilium nicht unbillich verworffen werden, die weil am Tag, daß die Pabst und ihr Anhang darinnen anders nichts gesucht, dann daß sie die alte Irthumben, welche nunmehr längst mit heilen klaren Bezeugnissen der H. Schrift widerlegt und zu Boden gestossen worden, wiederumb aufrichten und bestätigen: 10.) Man könne auch nichts gutes von den Papistischen Conciliis hoffen, weil etlich hundert Jahr her die Christliche Kirch und weltliche Pollice durch dieselben jämmerlich betrübt, zerrütet, und greuliche verderbliche Krieg und Blutoergießen angerichtet worden: 11.) Und sich der Pabst und sein Anhang öffentlich vernehmen lassen darff, als sollten die Stände des H. Römischen Reichs, welche der Augspurgischen Confession zugehan, nicht wahrhaftige Glieder der Christl. Kirchen seyn: darumb wolle dem Pabst, als unserem öffentlichen und abgesetzten Feind, nicht gebühren, daß er über deren Glauben und Bekanntnis rechtlich erkennen soll, welche er aus unchristlicher Frechheit (unangesehen sie noch keines Irthumbes überzeugt seynd) verdammen darff. 12.) Endlich auch / so nehmen die Stände der Augspurgischen Confession hierinn nichts neues für, wann sie sich des Tridentischen Concilii (als das ihnen in viel Weeg zum höchsten verdächtig) beschweren und einschlagen, und sich desselben Urtheil nicht unterwerffen wollen, dann solches vor etlich hundert Jahren die heilige Väter in gleichem Fall auch gethan haben.



Umg. VI. 2<sup>h</sup>

= [Dissertationes  
theol. <sup>Vol.</sup> 49.]

ULB Halle

3

004 917 588









Q. D. B. P.  
DISSERTATIO THEOLOGICA

Qua  
PRÆCIPUI  
PONTIFICIORUM ERRORES  
circa doctrinam  
DE

ECCLESIA


ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΧΗΙ  
*ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.*

PRÆSIDE  
GODOFREDO HOFFMANNO,  
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,  
ET ECCLESIAE DECANO,

*Publica ventilationi exposita*  
Die Septembr. MDCCXXIV.  
In Aula Theologorum Nova.

RESPONDENTIBUS  
M. JOHANNE LUDOVICO ENTENMANN, Nicro-Beyhingenſi.  
M. JOHANNE ANTONIO MAJER, Nuffringenſi.  
M. PETRO MEZGER, Schorndorffeniſi.  
M. JOHANNE CONRADO KAUFFMANN, Hohenhaſſlacenſi.  
SS. Theol. Stud. & Sereniſſimi Stipendiariis.

TUBINGÆ, Literis HIObI FRANCKII.



UCI  
pendi  
um ir  
agno  
um e  
pop  
m,qu  
, eti  
que i  
olici  
SER  
nuni  
ffim  
os fa  
ubdi  
o Il  
4,qu  
SSE  
dam  
ne  
llor  
es et  
ores  
Es  
gen  
i T  
nor  
cur  
ear  
are  
is f  
it e  
&  
ui  
ta  
pt  
iff  
m

Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue